

[p.371]

Historiae Deorum Gentilium
DE BACCHO, PRIAPO, ALIIS, AD
ILLVSTRISSIMVM HERCVLEM
BENTIVOLVM, SYNTAGMA OCTAVVM.

Cui dono damus hos duos libellos,
Incultos licet, et parum politos,
Hercules tibi? qui columna solus
Nunc es Bentiuolae domus relicta.
Et quidem tibi iure, qui Gyraldi,
Soles nonnihil aestimare nugas.
Dianam et Bromium hic deos habebis:
Hunc scenae patrem, et Enthei furoris:
Venatrix alia est dea, et remota.
Hos legas, rogo, post tuas Camoenas
Vel quae Lydia, uel Latina cantant,
Culto (Iupiter) aureoque plectro.
Quare hoc, quicquid id est, tibi dicatum,
Di faxint maneat precor, perenne,
Nostra nota fides sit ut perennis.

LILIVS GREGORIVS GYRALDVVS

Illustrissimo D. Herculi Bentiuolo, S.P.D.

Permuli sunt, Illustrissime Hercules Bentiuole, qui modo bene comptam et ornatam habeant familiam, et equos bene curatos, et stratos pulchris ephippiis, et canum omnis generis turmas, itemque aedes magnificas, aulaeis et peristromatis ornatas, nihil praeterea curant, ac optant, etiam si ipsi indocti ac imperiti et sint et habeantur. quibus id iure dici potest, O uiri qui praestantes esse uultis, uestrae quidem domus et familiae et iumenta recte se habent, caeteraque domestica: uos autem, si per uosmetipsos quam deformes sitis, et sordidati, uidere possetis, iure ac recte illud de uobis dici posse uideretis, quod de huiusmodi hominibus, prudentissimus et eloquentissimus Demosthenes, et philosophus Diogenes dicere solebant: quorum alter uos oues aureo uellere opertas uocabat, quae diuites quidem essent operimento, caeterum ipsae sine ratione: sic eiusmodi homines ipsi rudes sunt, et ignari. alter uero, caprificis in praecipitiis et altissimis ruinis ortis, similes hos ipsos arbitrabatur, quorum ficus non homines, sed corui et graculi decerpant et pascantur. Sic hoc tempore plurimos, mi [p.372] doctissime Hercules, uideas, qui diuites et nobili loco nati, nihil aliud curant, nihil satagant, quam uideri tales. Tu uero nec illa spreuisti, sed te intus longe magis ornare studuisti: non uestibus dico (id quamquam nec negligis pro dignitate, et domus splendore) sed uirtutibus, sed literarum

studiis, et his artibus omnibus quae sunt libero homine dignissimae. quod uerissimum esse iudicabit, qui te in omni musices genere canentem audierit, et qui literarum tuarum elegantissimas notas conspexerit. Ad quid haec ipse commemoro? quae nec tu libenter audis? ut qui potius laudanda facere uelis, quam coram laudari. Nam et ista tam plerisque omnibus nota sunt, quae tu uel Latino, uel Italico uernaculo, id est Hetrusco sermone scribis: quorum etiam pleraque in lucem data apparent, ut sunt Comoediae, Satyrae, Epigrammata, et permulta alia. Quibus de rebus omnibus duo haec mea Syntagmata tibi dono dare constitui, ut sub tuo nomine in uulgus prodeant: in quibus Syntagmatibus Dionysii et Dianae fabulas recensui, et eorum cognomina: quorum haec uenationi, ille furori poetico, et toti scenae apud gentes praefuere. Qua utraque re tu delectaris: et uenatione quidem, ut corpus exerceas, ad eius tuendam ualetudinem: et poetica, ut animum exornes et quamplurimis prodesse possis. Accipe igitur Illustrissime et doctissime Hercules, haec nostra, ita ut in tua tutela suscipias: neue maledicorum uenenis pateant, tuae correctionis antidotum eis adhibere uelis. Vale: et me, quod facis, tuo amore foue. Ex grabatulo nostro.

BACCHVS. DIONYSIVS. ALII.

Bacchi, seu Dionysii cognomina antequam explicemus, prius disquirendum uidetur, quot hoc nomine fuerint. nam quamuis de omnibus simul agendum, nonnihil tamen lucis ipsa tibi distinctio afferre poterit. Philostratus ergo in Apollonii Tyanei uita, Dionysios tres fuisse ait, Thebanum, Indicum, et Assyrium. Diodorus itidem Siculus proditum ait, tres diuerso tempore fuisse, primum Indum, ex Ammone et Amalthea genitum, qui barbatus Dionysius dictus est, quod Indorum more barbam nutriet: et Lenaeus, quod uinum ex racemis in torculari exprimere docuerit. alterum Dionysium Ioue natum et Proserpina, uel Cerere, quem primum ferunt boues ad aratra iunxisse. [p.373] tertium Thebanum, Ioue item et Semele natum. At uero noster M. Cicero libro de Natura deorum tertio, quinque connumerat. Multos, inquit, Dionysios habemus: primum, Ioue et Proserpina natum: secundum Nilo, qui Nysam dicitur condidisse (sunt tamen qui Nysum, non Nilum hoc

Ciceronis loco legant:) tertium Caprio patre, eumque Asiae regem praefuisse dicunt, cuius Sabazia sunt instituta: quartum Ioue et Luna, cui sacra orphica putantur confici: quintum Nilo natum, et Thyone, a quo Trieterides constitutae putantur. haec fere Cicero. Quod autem Dionysium primum ait ex Proserpina et Ioue natum, idipsum et Orpheus in hymno testatur canens, Διὸς καὶ Περσεφονείης ἀρρήτοις λέκτροισι τεκνωθείς, hoc est, Iouis et Proserpinae ineffabilibus lectis genitus. Communis tamen poetarum opinio, Bacchum Iouis et Semeles filium facit. hinc Bacchus ipse in priore in Dionysium hymno, ut aliquando e graeco conuerti:

Ipse ego sum Dionysus Eribromus, edidit ipsa

Me mater Semele, summo commixta Tonanti.

Qua de re consentiunt Diodorus et Eusebius et quidem pluribus, quae nos ita breuissime repetimus. Cadmum ii tradunt Agenoris filium, ex Phoenicia ad quaerendam Europam, quae fuerat ab Ioue raptam, a rege missum fuisse: et cum non inueniret, tandem in Boeotiam deuenisse, ibique Thebas condidisse. cumque Harmoniam Veneris filiam duxisset uxorem, Semelem et sorores eius genuisse. Ioue autem Semelis amore capto, et ea multis artibus potito, Iunonis fraude, Semele Iouem tandem exorat, ut ad se, uti solitus esset ad Iunonem, accederet: illam non tulisse fulgura et tonitrua, exanimatamque conflagrasse. edito abortu infante, Iouem femori suo puerum assuisse, perfecto partus tempore foetum edidisse, in Dracano nubiloso, ut canit Theocritus. ita enim scribit in Bacchis, seu Lenis poemate:

Quem Dracano in nubuloso

Iuppiter, exoluens ingens femur, edidit altus.

Hoc quidem de Iouis femore Tiresias aliter interpretatur apud Euripidem in Bacchidibus multis uersibus. Addunt praeterea fabulae, Parcas ipsum anguibus cinxisse, illis quidem immanibus, innoxie tamen pueri ora lambentibus. Vnde est illud poetae Catulli de Bacchi comitibus:

Pars sese tortis serpentibus incingebant.

Beatus etiam Epiphanius libro tertio contra Haereses, hos Bacchi serpentes ridet, ut in Euan dicam. Post haec Mercurius ab Ioue traditum puerum ad Nysae specum detulit, nymphis Nysaeis educandum, quo in loco Dionysium nuncupatum ferunt, de patris et Nympharum nomine. In eodem loco ferunt

uitis et uini usum, et plantandi rationem docuisse: potionem praeterea ex hordeo decocto confectam, quam zython Graeci, nostri ceruisiam, aliisque nominibus appellant. Ipsum dein [p.374] cum exercitu non uirorum solum, sed et mulierum terrarum orbem lustrasse aiunt, impiis ac iniustus hominibus, atrocissime poenis et suppliciis affectis. hactenus meis uerbis, quae illi pluribus disseruere. Sed enim et illud notamus, noctuam auem inuisam fuisse huic deo, utpote cui uitem denegarit, solamque a suis racemis abegerit, quod mortalibus uinum criminata sit. Quin et illud proditum est, si infantes noctuae oua assumpserint, perpetuo uinum odisse, et id non modo non bibere, sed et temulentos formidare, ut Philostratus auctor est. Bacchus igitur uocatus ἀπὸ τοῦ βαχέειν, hoc est, ab incomposite uociferando. quidam a coronae genere, quae Bacche dicebatur, deriuant. Baccha, inquit Varro, uinum in Hispania. Eustathius dici uoluit ἀπὸ τοῦ βαχέειν, quod significat ululare, et incondite clamare, ut bacchae facere solebant. mox κ litera addita fuit, ut maior ac sonantior fieret, terribiliorque uocis expressio: quo modo et nonnulli etiam in Iaccho contigisse putant. Graeci aliquot Bacchum non dei nomen esse tradunt, sed sacerdotis Dionysii nomen, et rami cuiusdam, quo in eius dei sacris uterentur, in quibus et βακχέβακχος acclamabatur, ut Hesychius prodidit: et perinde etiam βακχεύω fureo et insanio: et βακχεία Dionysii celebritas, quae a nostris Bacchanal, et Dionysia Bacchanalia dicuntur. Sed ex rixis quidem et contentionibus, quae uino supra mensuram hausto seminantur, et clamoribus ex ebrietate fuis, facta sunt etiam illa huic deo cognomina: Εἰραφιώτης, Ἐριβρομος, et Ἐριβρεμέτης, de quibus seorsum agemus. Ἐρις enim, ut nosti, rixam et litem significat. Sed et Enyalius, id est Martius, hic deus cognominatus est, teste Macrobio. Colebatur etiam apud Lacedaemonios Liberi patris simulachrum hasta insigne, non thyrsus. Sane thyrsus hasta fuit, cuius mucro hedera lambente protegebatur: quod significabat, inquit Macrobius, uinculo quodam patientiae obligandos impetus furoris. habet enim hedera uinciendi obligandique naturam: uini uero calor ad furorem saepe hominem propellit. Phurnutus quidem thyrsus ideo Baccho ait attribui, quod ebriorum pedes suum officium haud plane peragant. Alii putant, quod raro

computationes sine rixa et lite finiantur, ut Lapitharum et Centaurorum fabulae declarant. Notissima est fabula de Lycurgo, qui Baccho insidiabatur, apud Homerum, ab Ouidio aliisque repetita. Phurnutus hanc ita interpretatur. Bacchum, ait, fugientem Lycurgi insidias ad mare peruenisse, eumque a Thetide seruatum. uites interpretatur Bacchi nutrices, Lycurgum uindemiatores, uinum autem marina aqua mixtum conseruari. Nunc quaeso rem ridiculam audi, quam conuiuia Vlpianus, ut puto, narrat in coenis apud Athenaeum, de Bacchi origine. Ignorare, inquit, mihi uidemini conuiuiae, auum Dionysii Cadmum cocum fuisse. illis autem tacentibus, Euhemerus (ait) Cous in tertio sacrae historiae libro ita [p.375] prodidit, auctoritate Sidoniorum, Cadmum regis cocum fuisse, qui sumpta Harmonia tibicine regis aufugit. haec ille. ex quibus praeter rei nouitatem, Coum etiam uidemus appellatum Euhemerum, cum Messenium, uel Tageatem alias: id quod in eius uita, in Poetarum historia ostendimus. Puderet me hoc loco fabulam referre, nisi eam uir sanctus Arnobius recitaret libro V. aduersus Gentes: Cum, inquit, inter homines esset adhuc Nysius et Semeleus Liber, nosse inferos expetiuit, et sub Tartari sedibus quidnam rerum ageretur inquirere. Sed cupiditas haec eius nonnullis difficultatibus impediabatur, quod qua iret ac pergeret, inscitia itineris nesciebat. Prosumnus quidam exoritur, ignominiosus amator dei, atque in nepharias libidines satis pronus, qui se ianuam Ditis atque Acherusios aditus pollicetur indicaturum, si sibi gereret morem deus, atque uxorias uoluptates pateretur ex se carpi. Deus facilis, iurat potestatis futurum ac uoluntatis se eius, sed cum primum ab inferis compos uoti atque expeditionis redisset. uiam comiter Prosumnus edisserit, atque in limine ipso prostituit inferorum. Interea dum Liber Stygem, Cerberum, Furias, atque alias res omni curiosa inquisitione collustrat, ex uiuentium numero index inde decedit, atque ex more sepelitur humano. emergit ab inferis Euhyus, et recognoscit extinctum ducem: qui ut fidem compleret pacti, et iurandi solueret religione se iuris, locum pergit ad funeris, et ficorum ex arbore ramum ualidissimum praesecans, dolat, runcinat, laeuigat, et humani speciem fabricatur in penis. Figit super aggerem tumuli, et postica ex parte nudatus accedit: subdit, insidit. lasciuia deinde luxuriantis assumpta, huc atque illuc clunes torquet, et meditatur ab

ligno pati, quod iam dudum in ueritate promiserat. hactenus Arnobius. qui et ideo Ithyphallos erigi institutum asserit, et in hoc non Heraclitum solum, sed totam contestatur Graeciam. Fabulam hanc eandem comperio in graeco libello, qui inscribitur *ιστορία τῶν φώτων*. Item apud Hyginum, dum coronam Ariadnae describit, ex his qui Argolica scripserunt: sed hominis uiam ostendentis nomen non Prosumnus uocatur, sed Hypolinnus, uel ut alia exemplaria habent, Hypelipnus. in graeco uero libello *Πρόσσυμος* etiam, et cum Arnobio conuenit, u graeca litera in u nostrum conuersa, ut frequentissime antiqui faciebant. Et hoc etiam addit Hyginus, quod Bacchus ab Ioue patre impetrauit ad inferos descendere, ut inde Semelen matrem reduceret. Et de hac fabula satis. Iam ad reliqua uenio. Effingebatur item uariis modis Bacchus, aliquos ego attingam. Simulachra, inquit Phurnutus, nuda fiebant, ut uini naturam ostenderent, quae secreta reuelat. unde illud est quod dici solet, In uino ueritas. Effingebatur et puer imberbis. hinc Tibullus,

Solis aeterna est Phoebus Bacchoque iuuenta,
Nam decet intonsus crinis utrumque

deum.

Ouidius in *Metamorphoseis*,

Tibi enim inconsumpta iuuenta, Tu puer aeternus, tu formosissimus, etc.

Item cum corniculis in fronte. Ouidius in *Sappho*, [p.376]

Accedant capiti cornua, Bacchus eris. Sed de cornibus Bacchi dicam in *Bugene* plura. Interdum puer, et laetus, quod uinum modice sumptum hilares et laetos homines faciat. Senex etiam aliquando, et caluus, propter scilicet immodicam bibendi intemperiem, et quod ex ebrietate arcana plerumque retegantur. Indi etiam senem et barbaturum, ut dixi, Dionysium coluere: hinc Macrobius in *I. Saturnaliorum*, Liberi, inquit, patris simulachra partim puerili aetate, partim iuuenili fingebantur. praeterea barbata, specie senili quoque, et reliqua. Coronabatur pampinis, hedera, et ficulneis frondibus: pampino quidem, et ficu, ex memoria nympharum *Staphylae* et *Sycae*: hedera uero, *Cissi* pueri, qui fuerant in has plantas conuersi. Effictus est aliquando in curru pampineo, et triumphans, qui pantheris modo, modo tigribus ac lyncibus trahebatur. *Silenus* pando asello propter astans, bacchis et *Satyris* thyrsos et ferulas uibrantibus, caeteroque bacchantium comitatu

tum praeunte, tum subsequente. Nam ut scribit Strabo libro X. ministri et asseclae Dionysii putabantur, Sileni, Satyri, Bacchae, Lenae, Thyiae, Mimallones, Naiades, et Nymphae, et Tityri. Porro addit et Phurnutus, Σκιρτούς, Scirtus et Σκενίδας, tum Panes, et Syluanos, et Bassarides: et nos Maenades addamus, et si quem alia huiuscemodi sunt fabulamenta potius quam numina. Atque hic Ariadnae chorus dictus, ut puto, quem Daedalum statuarium effinxisse ferunt in Cnoso, ex albo marmore: cuius in Iliade meminisse uidetur Homerus, in illo, ἐν δὲ χορὸν ποίκιλλον. Quem chorum etiam designasse uideri potest Propertius in secundo Elegiarum:

Egit ut euantes dux Ariadna choros.

Philostratus Bacchi etiam imaginem in nauī, elegantissime descripsit, qua Tyrrenis nautis furorem immisit, eosque demum in delphinos conuertit. Memini me has effictas nugas spectasse pulcherrimis ex musino opere figuris in templo olim Bacchi Romae, nunc diuiae Agnae dicato. Fabulam Homerus in hymnis, et Ouidius copiose, ante alios retulere. atque de his hactenus. Porro ab Indis Bacchus deus Saron nominabatur, qui uini confector interpretatus dicitur, ut Chares Mitylanaeus ait. Sed iam institutum sequamur.

Dionysus, et Dionysius, Bacchus appellatus, a patre Ioue, et Nysa urbe Arabiae. nam post fulminatam Semelen, ait Diodorus, Iupiter ipsum infantem absconditum in femur cum continuisset, partus tempore in Nysam Arabiae urbem nymphis Nyseis educandum dimisit; atque inde ex Ioue et Nysa, id est a Δίος καὶ Νῦσα uocatus Dionysius. Pausanias tamen in Laconicis nutricem tradit. quod et Ouidius. Quin etiam antrum ostendi ait, in quo fuerit nutritus, ut alibi est copiosius relatum. Hesiodi interpres dictum ait, quasi δεδοίνυσσον, a διδόναι uidelicet τὸν οἶνον, quia sit dator uini: quod ante ipsum et Plato prodiderat. Phurnutus tamen: Dionysus, inquit, ἦτοι διόνυξος ὦν, quasi nos adaperiens, ἦτοι διάνυσσος τις, παρὰ τὸ δυαίνειν ἡμᾶς ἡδέως, quia nos iucunde ac suauiter irriget. uel dictus quasi διάλυσος, inuersione a in o, et l [p.377] in n, quod curas soluat modicus, ut nimius animum. unde et Alysus dictus, et Lycus. Sedenim Macrobius, Dionysius, inquit, a Physicis dictus, quasi Διὸς νοῦς, hoc est Iouis mens. Orpheus dictum innuit ἀπὸ τοῦ

δινεῖσθαι, καὶ περιφέρεσθαι, id est, quod circumferatur in ambitum, cum ait,

πρῶτος δ' ἐς φᾶος ἦλθε, Διόνυσος δ' ἐπεκλήθη,

οὔνεκα δινεῖται κατ' ἀπείρονα μακρὸν ὄλυμπον, hoc est:

Prodiit in lucem primus dictus Dionysus,

Quod super immensum et latum uersetur olympum.

Cleanthes uero dictum ait ἀπὸ τοῦ διανύσαι, hoc est a perficiendo. Dionysium enim solem Physici interpretati sunt, qua in re et Macrobius multum laborat. Artemidorus libro II. Onirocriticon, et Suidas, etiam ipsi ἀπὸ τοῦ διανύειν deducunt. Sane et Nysaeum, et Nysium Dionysium dictum plerique arbitrantur, a Nysa Cythaeonis, seu Heliconis monte: alii a Nysa Arabiae. Arrianus uero, et Q. Curtius, et Philostratus, a Nysa Indiae tradunt. quibus et Pomponius Mela his uerbis subscribit, de India agens: Vrbium, inquit, quas incolunt (sunt autem plurimae) Nysa est clarissima et maxima, montium Meros Ioui sacer: famam hinc praecipuam habent, quod in illa genitum, in huius specu Liberum arbitrantur esse nutritum. unde Graecis auctoribus, ut femori Iouis insutum dicerent, aut materia ingessit, aut error. haec Mela. At Stephanus, huius Nysae nomine urbes decem collegit, inter quas in Euboea decimam retulit, ubi ait una eademque die uitem florere, et racemos maturos producere. Porro a Nysio Baccho Nyseides, et Nysiades nymphas legimus apud Ouidium aliosque poetas.

Liber pater Bacchus dictus est. Tibullus:

Candide liber ades, sic sit tibi mystica uitis,

Sic hedera semper tempora uincta feras.

Vocatus autem Liber est, uel a linguae licentia, ut plerique putant: nam uini potu magis liberi mortales sunt. uel potius, quod animum curis liberet, et pellat tristitiam. Ouidius in Arte:

Cura fugit multo, diluiturque mero:

Tunc ueniunt risus, tunc pauper cornua sumit,

Tunc dolor et curae, rugaque frontis abit.

Et nec hac de re pauciora Horatius. Liber, inquit Seneca, non ob licentiam linguae dictus est inuentor uini: sed quia liberat seruitio curarum animum, asserit, uegetatque, et audaciorem in omnes conatus facit. Sunt qui dicant, quod in liberis ciuitatibus coleretur:

quin et earum symbolum esset. unde et Marsyas, eius minister, in ciuitatibus libertatis fuit indicium. Scribit Diodorus, Dionysium in Boeotia iussisse, in patriae suae gratiam omnes urbes liberas esse, condita de suo nomine ciuitate quam ideo Eleutheras nuncupauit. Plutarchus in Problematis ait, Cur Bacchum liberum uocant? An quod bibentibus libertatis causa sit? fiunt enim plerique potu licentiores? An quod libationem inuenit? An uero, sicut Alexander ait, quod pro Boeotiae libertate pugnavit, et ipse etiam Ἐλευθέριος, id est, Liber et Liberator cognominatus [p.378] est. Pausanias etiam in Attica, commemorat templum non magnum Bacchi Ἐλευθερίου, id est, ut exponit Domitius, Liberatoris. Hesychius etiam eodem nomine cultum scribit. D. Augustinus Liberum appellatum scribit, quod mares in coeundo per eius beneficium emissis seminibus liberentur: quod etiam agere in foeminis Liberam dicunt. Ob hoc Libero uirilem corporis partem in templo poni, foemineam Liberae. libro uero VI. capite IX. idem scribit Augustinus: Liberam, inquit, a libramento appellari uolunt, quod mares in coeundo per eius beneficium emissis seminibus liberentur. hoc idem dicunt in foeminis agere Liberam, quam etiam Venerem putant, quod et ipsam perhibent semina emittere: et ob hoc, Libero eandem uirilem corporis partem in templo poni, foemineam Liberae: et ob hoc addunt, mulieres attributas Libero, et uinum propter libidinem concitandam. atque haec Augustinus. M. uero Cicero libro II. de Natura deorum, his superius dictis, quam exponatur, melius intelligitur. Cum enim alium esse dixisset Liberum Bacchum Semele et Ioue natum, a Libero quem Romani cum Libera et Cerere auguste sancteque consecrassent, ait, quod quale sit ex mysteriis intelligi potest. Sed quod ex nobis natos liberos appellamus, iccirco Cerere nati nominati sunt Liber et Libera. quorum trium deorum templum Cornelius Tacitus in secundo Annalium Romae apud Circum maximum constructum ait, ab A. Posthumio dictatore uotum, a Tiberio Caesare instauratum. T. Liuius libro I. Decadis V. Supplicatio, inquit, ad Cereris Liberi Liberaeque fuit, quod ex Sabinis terrae motus ingens cum multis aedificiorum ruinis nunciatus erat. Meminit Liberae et Cereris, sed et Liberi, sed non simul, Cicero in VI. Verrinarum. Sane D. Augustinus Liberam

modo Cererem dictam innuit. haec eius uerba in VII.: Confert hoc idem quae Ceres, seu Venus ut etiam in Cerere meminimus. Idem alibi: Ridet porro sacra Liberi, quae cum alibi, tum Lauinii fierent impudentissime, pudendorum uirilium: libro septimo, capite XXI. Porro qui Liberum a uerbo labi dictum putarunt, ut Liber quasi Laber dicatur, ualde labi uiderentur.

Thyoneus etiam appellatus. Horatius libro I. Carminum, Nec Semeleius cum Marte confundet Thyoneus. a Thyone uero matre dictus, ut Diodorus et Hesychius docent, et Coelius Lutatius grammaticus in eo Statii Thebaidos libro V.

Tunc primum sese trepidis sub nocte Thyoneus Detexit.

Idem scribit et Porphyrius in Horatio. Ouidius, Indetonsumque Thyoneum, dixit. Sunt qui Thyonem non matrem Bacchi, sed nutricem faciant, ut poeta Panyasis libro Heracleiae tertio. Sed hac de re plura Isaacius in commentariis in Lycophronem. Alii Thyoneum aθύω, hoc est sacrificio deducunt, propter orgia et mystica sacra: uel impeto, propter Bacchas et maenades. A Thyoneo Thyonianus, Catullus dixit, in illo:

Migrate, hic meus est Thyonianus.

Acron tamen contra aliorum opinionem ita scribit: Thyoneus filius Liberi fuit, qui in Chio insula regnauit, [p.379] pater Thoantis regis, cuius filia fuit Hypsipyle, quae coniuratione facta aduersos uiros, sola parentem seruauit. quam fabulam Statius narrauit suo carmine. Videtur tamen hic erratum esse, et pro Chio, Lesbo legendum. Thyonem quidam terram, ut est apud Diodorum in quarto: alii Semelem etiam Thyonem uocatam tradunt. Sane et graeci θέοιον, ut ait Hesychius, Dionysium uocauere, unde uideri potest Thyoneus dictus, quasi Theoenius. Porro et Thyonidas a Rhodiis dictus Bacchus.

Dithyrambus Dionysius cognominatus, quod bis natus esse crederetur, ex matre scilicet Semele, et mox ex patris femore: quasi, ut aiunt, duabus ianuis egressus. uel quod in specu sit nutritus, quod διθυρρον esset, quod plenius in primo de Poetica dialogo declaratum est. Sed in antro nutritum quidem Dionysium, ait Pausanias in Laconicis. ab Ino etiam campum ante ipsum uocari Διονύσου κήπον, id est Bacchi hortum. Vel forte Dithyrambus dictus, ut est apud Diodorum, Originem, et Eusebium: quod Dionysius ipse

ex Ioue et Cerere natus, discerptus a Titanibus, et decoctus, a matre secundo compositus et reffectus, reuixisse dicitur, ἀπὸ τοῦ δις εἰς θύραν ἀναβαίνειν, hoc est, a bis in ianuam ingrediendo. qua de re et Ausonius in epistola ad Paulum de Centone: Ne, inquit, in sacris et fabulis aut Thyonianum mireris, aut uirbium, illum de Dionysio, hunc de Hippolyto reformatum. Quin et ab eodem, de Libero patre agente, graece uocatur τιτανολύτης Διόνυσος, hoc est a Titanibus discerptus Dionysius. de hoc et Arnobius contra gentes: Et tamen, inquit, isti qui hominem nos colere morte functum ignominiosa ridetis, nonne et Liberum uos patrem membratim a Titanibus dissipatum, fanorum consecrationi aptatis? Idem item in V. sic inquit: Sed et illa desistimus Bacchanalia altera praedicare, in quibus arcana et tacenda res proditur, insinuaturque sacratis, ut occupatus puerilibus ludicris, distractus ab Titanibus Liber sit: ut ab iisdem membratim sectus, atque in ollulas coniectus ut coqueretur, quemadmodum Iupiter suauitate odoris illectus, inuocatus aduolarit ad prandium, compertaque re graui grassatores obruerit fulmine, atque in imas tartari praecipitauerit sedes: huius rei testimonium, argumentumque fortunae suis prodidit carminibus Thracius Orpheus. et adhuc Arnobius. Libet hic tibi referre, quid hac de re tradat Macrobius ex Orphica theologia, de Libero, seu Dionysio agens. Ideo, inquit, in illorum sacris traditur, Titaneo furore in membra discerptus, et frustis sepultis rursus uiuus et integer emersisse, quia νοῦς, quem diximus mentem uocari, ex indiuidio praebendo se diuidendum, et rursus ex diuiso ad indiuiduum reuertendo, et mundi implet officia, et naturae suae arcana non deserit. haec quidem Macrobius. Phurnutus eandem fabulam ad uuas uindemiatas, et in uinum conuersas transfert, et quidem subtiliter, quod et Diodorus in quarto. Planiora nunc afferamus. [p.380] Sunt qui tradant, ideo Dithyrambon appellatum, quod ebrii ac temulenti minime arcana conseruent, quodque secreta et credita ex pectoris penetrati primum, et deinde ex oris sermone depromant: quoniam, ut ait Phurnutus, uinum τὸ στόμα διθυροῦν facit, quod et in primo de Historia poetarum dixi. Physici quoque ita interpretantur, ut in uitium naturam referant, quae ex Ioue et Cerere, id est coelesti hymbre et ex terra racemos proferat, ex quibus uinum

exprimatur. alia ab aliis traduntur, et quaedam in quarto a Diodoro. Hinc ergo et a Graecis διμάτωρ, et in primis in hymnis ab Orpheo, et a nostris Bimater uocatus est. Ouidius quarto Metamorphoseon et hoc, et alia multa Bacchi nomina commemorat, quae tibi hic adscribam, ne ea saepius repetere sit necesse. ait igitur:

Thuraque dant, Bacchumque uocant,
Bromiumque, Lyaeumque.

Ignigenamque, satumque iterum, solumque
Bimatrem.

Additur his Nyseus, indetonsusque
Thyoneus:

Et cum Lenaeo, genialis consitor uuae:

Nycteliusque, Eleleusque, et Iacchus, et
Euan.

Et quae praeterea per Graias plurima gentes
Nomina Liber habes.

Dictus et Θριάμβος, id est triumphus. Varro de Lingua latina sic triumphare appellatum, quod cum Imperatore milites redeuntes clamitabant per urbem in Capitolium eunti, Io triumphe. id a Θριάμβω graeco Liberi patris cognomento potest dictum esse. dictus autem Θριάμβος, ἀπὸ τοῦ θροεῖν, id est ab accinere, καὶ ἰαμβίζω, id est maledicere, unde et in bellicis triumphis multis anapaestis conuiciantes uti consueuerunt: et κίτταν, id est picam auem nugacem huic deo consecrarunt, ut Phurnutus prodit. quin et primus Liber triumphum bellicum duxit.

Meliastes Dionysius nuncupatus, teste Pausania in Arcadicis a fonte Meliastarum, qui prope Mantineam fuit spacio stadiorum VII. in cuius dei atrio orgia et sacra ab indigenis celebrabantur.

Maeonius etiam Bacchus uocatus, a regione ubi coleretur, et uites foecundissimae essent. Vergilius Cape Maeonii carchesia Bacchi. Maeonia uero, Lydia: unde Bacchus Maeonius, Lydius, teste Seruio.

Ligyreus Dionysus nuncupatus, quod coleretur a Ligyreis Thraciae populis, apud quos adytum fuit Libero patri consecratum, ex quo oracula reddebantur, mero copiose epoto. Macrobius auctor, qui super hoc citat Aristotelis Theologumena.

Bacchepaeon Dionysius, de quo sic Macrobius, Praeterea, inquit, barbata specie, senilique Dionysius, uti Graecis eius quem Bacchepaeon, item quem Brissea appellant, et ut in Campania Neapolitani celebrant, Hebona cognominantes. Citatur hac in re illud Euripidis δέσποτα φιλόδαφνε Βακχεπαίαν.

Scribit et Phurnutus uocatum Ἴόβακχον, ut supra memini. [p.381]

Lysius Bacchus in primis a Thebanis cultus fuit, templum habens prope theatrum, ut est apud Pausaniam in Boeoticis, spectabatque ad portas Proetidas. ideo uero Lysius nuncupatus, quod Thebanos a Thracibus uinctos soluerit, hoc est ἔλυσεν, παρὰ τὸ λύω. nam deus Thracibus soporem immisit, quo illi sunt a Thebanis occisi. Λυσίου Bacchi hymnus est apud Orpheum. Lysii item mentio apud Pausaniam in Corinthiacis, ubi de Dianae Ephesiae foro agit. Scribit et Plutarchus in septem sapientum conuiuio, quod et Diocles inscribitur, Lysium Bacchum cognominatum ex Biantis philosophi uerbis. hunc et Alysion appellare uidetur Phurnutus in Baccho. Sane et Lysiphobon Iouem antiqui coluere, quod metum solueret. meminit Alicarnasseus in VI historiarum. Sed et Lyaeus quoque Bacchus uocabatur, quod curis scilicet hominum mentes soluat. Ouidius.

Cura fugit multo, diluiturque mero.

Quin et eadem ratione Lysius etiam appellabatur, ut est apud Orpheum et Pausaniam: et utrunque παρὰ τὸ λύω, soluo, denominatum uidemus. Illud etiam addit Hesychius, quod et sacerdotes eius Lysii nuncupabantur. Sunt qui tradant, Lyaeum uel Lysium ideo dictum, quod non solum membra soluat, sed quod etiam ex intemperanti potu saepe rixae atque discordiae oriuntur, hominumque communitas soluatur. Nonnulli et Alysium uocant, si modo sani sunt codices: ut est apud Phurnutum. Sane Coelius noster ad me de ludis scribens, Lydos nationem olim fortem atque inuictam, ludos ait inuenisse, et hinc deum Lydium religiose cultum a ueteribus, quem (inquit) alii Lysium a soluendis curis appellare malunt.

Cephalena Dionysium Methymnaei colebant, oraculo moniti. cum enim aliquando piscatores iactu retis oleaginum caput coepissent, Apollinem consuluerunt, cuius uel herois uel dei esset capitis imago? responsum a Pythia acceperunt, Dionysii Cephalen: et exinde ipsum coluere. Pausanias in Phocaicis.

Lenaeus Bacchus cognominatus, quod leniat mentem, ut putauit Donatus. Quem ideo Seruius damnat in Georgicis. nam, ut inquit, uerbum graecum non potest latinam etymologiam recipere. Eusebius et Diodorus, alique ἀπὸ τοῦ λήνου, id est torculari deductum affirmant. Vergilius,

Huc ades, o Lenaee pater, etc.

Tibullus,

Odit Lenaeus tristia uerba pater.

Orpheus in hymnis Ἐπιλήνιον uocat, eadem ratione, quod uindemiis et torcularibus praesit. Scribit Hesychius, Lenaem ambitum seu circuitum, id est περίβολον magnum in urbe, id est Athenis habuisse, et in ipso fuisse Lenaei templum, in quo Athenienses certamina sua peragebant, antequam esset theatrum constructum. Considerandum, an in Limnaeis legendum. nam sic fere semper scriptum comperi in graecis, ut infra dicemus. A Lenaeo, Lenaeon mensis denominatus. Videndum, an lenae Bacchae a Lenaeo, an contra dictae sint. Extat Theocriti Edyllum inscriptum Ἀῆναι, ἢ Βάκχαι. [p.382]

Cressius Bacchus dictus uidetur, quod defunctam Ariadnam Cretensem sepeliuerit apud templum ipsi deo dicatum. uide Pausaniam in Corinthiacis.

Melanaegis Dionysius ex historia cognominatus est. nam cum bellum esset inter Athenienses et Boeotios, de Celaenis uico in confiniis posito, Xanthius Boeotius Chimoeten Atheniensium regem prouocauit: quo recusante, Melanthus Messenius a Periclymeno Nelei filio originem ducens, imperii causa pugnaturum se recepit. quare cum pugnarent singulari certamine, quidam nigra hircina pelle indutus, post Xanthii terga Melantho apparuit, ipsumque iniqua facere dixit, quod secundus ueniret: quo dicto, respicientem Xanthium interemit. qua ex re et festum Apaturia, a deceptione cognominatum fuit, de quo alibi diximus: et Dionysii Melanaegidos, hoc est nigricapri templum constructum fuit, in rei memoriam. Melanaegidi ergo Dionysio, Musarum, natandi, et nauium annua fiebant certamina, quod Pausanias scribit, et Suidas in Apaturiis.

Aesymnetes cognomentum Dionysii fuit, qua de re sic legimus: quod Eurypylus Euaemonis filius in Troiana direptione sit sortitus arcam, Vulcani (ut ferebatur) opus, donum ab Ioue datum Dardano. alii Aeneam hanc arcam aiunt reliquisse, dum fugeret. alii Cassandram tradunt, capsam ipsam abiecisse, futuram perniciem inuenienti. Vnde eam cum Eurypylus reclusisset, insanire coepit per temporis interualla. consultus Apollo pro remedio, respondit, Eurypylum ire debere ad Tricliniam Dianam, ubi uirgo mactaretur. quod cum fecisset, et ipse furore, et populus ille

liberatus est ab humana hostia: et is qui praeterlabebatur fluuius, pro ἀμειλίχιω μειλίχιος, id est fausto nomine pro infausto nuncupatus. historiam pluribus in Achaicis Pausanias est executus. Sunt qui scribant hoc contigisse, quo tempore Hercules Ilium cepit: nec Thessalo Eurypylo Euaemonis, sed Dexameni regis Olenio contigisse. Deus autem qui in arca, Aesymnetes, id est rex uel praefectus Dionysius est dictus: cui nouem e populo selecti, totidemque mulieres sacra quotannis faciebant.

Hygiates Dionysius, id est Salutaris colebatur: quid enim uino modico et temperato salubrius? Lege Galenum, Plinium, et Athenaeum. eo uero nomine Pythia coli praecepit, ut notum est.

Σωτήρ, id est Seruator Bacchus cognominatus a Graecis, quoniam eos seruauit in Mysia, cum ibi grassaretur Telephus, cum uitem obiecissent: quae res ex dolo eius generis Sphaltes est appellata. Est et Soteris Bacchi mentio apud Plinium, sed ob aliud.

Enorchus Bacchus etiam appellatus, quod eius sacra cum tripudiis et saltationibus agerentur: hoc est, παρὰ τῆς ὀρχήσεως. uel quod quum Thyestes cum sorore concubuisset, natus ex eo coitu filius [p.383] eo nomine, unde deo inditum cognomen. Enorchon uero Dionysium ait Hesychius in Samo appellari. Sane et ἔνορχα quaecumque non castrata, et cum testiculis, significant: unde forte etiam Baccho nomen, quippe qui et Taurus dicitur, ut alibi diligentius est a nobis notatum.

Morychus Bacchus cognomento dictus est a Siculis, παρὰ τὸ μορῦσαι, quod inquinare et polluere et foedare significat, de quo in nostris Poetis scenicis etiam scripsimus. Sumptum uero inde uidetur, quoniam in uindemiis plerumque musto faciem deturpabant non modo antiqui, sed et nostro hoc ipso tempore.

Problastum etiam eundem uocatum legimus, quoniam ex germinantibus uitium palmitibus, qui βλαστοὶ dicuntur, illi sacra fierent: uel quando primum putabant.

Erebinthius uero Dionysius in contumeliam et derisum dicebatur. quin et in prouerbum transiit, a cicere uidelicet legumine, uel a pudendo, quando id utrumque ἐρέβινθος indicat. Hesychius Ἐρεβίνθινος Διόνυσος usurpat pro eo, qui nullius rei homo sit, nec dignus: iuxta (inquit) prouerbum, Cicerinum ius, hoc est, ἐρεβίνθινος ζωμός, cum tamen ad

multa medici utantur. Sunt qui Erebinthion Dionyson ideo dictum putent, quod ex leguminibus, ab antiquis conficeretur, sicut zithus Aegyptiorum, celia Hispanorum, ceruisia Gallorum. qui potus inopia uini repertus fuit in his regionibus, quae minus uitem ferunt.

Syciten Dionysium scribit Sosibius cultum a Lacedaemoniis, quasi tu dicas ficulneum. Hesychius tamen Syceaten legere uidetur. ideo uero sic appellatum: nam et ab eo ficum repertam tradunt. quo etiam argumento Milichius aliquando dictus est, quod et milicha ficus appellata sit. Nam et Naxii, Dionysii simulachra ita effingebant, ut ora nunc ex uite, nunc ex ficu conformarent. Quin et Baccho Aegyptii diem quendam festum agebant, ut Herodotus in secundo scribit, sine porcis: sed eius loco phallorum ficulneorum a collo pendentium statuae cubitales e neruis compactae, quas foeminae circumferebant: et reliqua, quae Herodotus exequitur. Sed et interdum legimus praeter hederam, et pampinis et ficulneis ramis late frondentibus, Bacchum coronatum, atque ita de uictis hostibus triumphasse. Hedera uero ideo sacra Baccho, quia contra ebrietatem facere putatur: uel quia Cissus puer fuisse in eius comitatu dicitur, qui cum saltaret cum Satyro, humi lethaliter afflictus, ab eo deo est in hederam transformatus, quae et κισσός graece uocatur, ut Constantinus in Geoponicis scribit. Sed quod hedera coronaretur, illud etiam palam facit, quod Corymbifer dictus est. hinc illud Ouidius,

Festa corymbiferi celebrabat Graecia Bacchi.

hinc et Dionyson uocata est species haederae quaedam. Ouidius uero libro Fastorum sexto, Baccho [p.384] hederam ideo attributam ait, quod Nysiades nympphae puerum quaerente nouerca, hanc frondem cunis circumposuisse ferantur.

Sabazion Bacchum etiam uocatum inuenimus, a tripudiis et saltationibus, quae a bacchantibus et furentibus fieri in eius dei sacris consueuere. nam et εὐάζειν etiam barbari σαβάζειν dicunt, teste Suida: unde sauazare iuxta Italicum idioma uir doctus deflexum putauit, cum alii a uasare et conuasare deducant, quae latina sunt, et usitata uocabula. Sunt qui Sabas uetustos Thraciae populos fuisse scribant, unde Sabazius sit appellatus: quod uidetur sensisse Eustathius.

Porro et Phryges a Thracibus coloniam et sacra traxisse, ut pluribus testis est Strabo. quare non mirum, eadem sacra apud eosdem fuisse. Hesychius de hoc deo sic propemodum: Sabazius cognomen, ait, est Dionysii. Sed aliqui filium putant, et nonnunquam etiam uocatum Sabon legimus. Fuit uero Phryx Sabazius, qui et alibi Hyeum ipsum uocat, unde et Semele Hye est appellata: id quod et Suidas et Phauorinus. De Sabazio praeterea, ut deo peregrino, deque eius sacris Sabaziis, Strabo in X. et Diodorus libro quarto, qui in Latinis est quintus. ita enim scribit: Traditur quoque et alter multa prior aetate fuisse Dionysius, quem ferunt ex Ioue et Proserpina natum, a nonnullisque appellatum Sebazium, cuius genus, sacra, honores, propter pudorem nocturna occultaque agunt. hic dicitur propter ingenii acumen, primus boues ad iugum iunxisse, eorumque opera iacta semina frugem reddidisse, qua ex re illum cum cornibus finxerunt. de hoc hucusque Diodorus. Sabazio quidem hymnum cecinit Orpheus, cui aromata in suffimentum addidit. ita enim ait:

Κλῦθι πάτερ Κρόνου υἱέ Σαβάζιε, κύδιμε δαίμον.

In Sabaziis quidem cur serpens praeferebatur, dicemus in Pherephatte, id est Proserpina. Valerius autem Arpocraton, σαβοῖ, inquit, Demosthenes pro Ctesiphonte. Quidam aiunt σαβοῦς dici, sacra Sabazio agentes, hoc est Dionysio: uti Bacchos. Eundem uero esse Sabazion et Dionysion, cum alii, tum Amphitheus in secundo Heracleae. sic enim quosdam aiunt graecos, Bacchos σαβοῦς uocare. Mnaseas uero Pataraeus, Sabazion filium esse ait Dionysii. Atque haec quidem Arpocraton. Phauorinus uero ait, Sabazium Thraces Dionysium uocant, et σαβοῦς eius sacerdotes: et caetera, quae plura scribit. Sed et hoc loco illud addamus de Sabis, quae esse uolunt huic deo consecrata loca. quin et Bacchos ipsos, hoc est sacerdotes, sic uocabant, quos et duplici ββ Plutarchus in Symposiacis scribere uidetur, si exemplaribus credendum. Quin et illud ridiculum affert, Sabbatum Hebraeorum inde deflecti. Theophilus ab ἐβοῖ, σαβοῖ. Et Strabo in X. Hucusque distuli M. Tullium, Apuleiumque et Macrobius citare, qui de hoc deo meminere: Cicero quidem in secundo de Legibus, Apuleius in octauo Metamorphoseos, Macrobius in primo Saturnaliorum. ea ratione,

quod non [p.385] Sabazium, sed Sabadium per d, non per z proferunt: etsi antiqui eas literas interdum commutabant, ut Medentius Mezentius. Macrobius igitur de Libero agens, quem et Solem intelligi uult, ita scribit: Item in Thracia eundem haberi Solem atque Liberum accepimus, quae Sabadium nuncupantes, magnifica religione celebrant, ut Alexander scribit: eique deo in colle Cilmisso aedes dicata est, specie rotunda, cuius medium interpatet tectum. rotunditas aedis monstrat huiusce sideris speciem, summoque tecto lumen admittitur, ut appareat Solem cuncta uertice summo lustrare lucis immisso, et quia oriente eo uniuersa patefiunt. tantum Macrobius. Apuleius quoque in Asino, hoc eodem Sabadii nomine uocauit. Porro libro secundo de Legibus Cicero, Nouos uero deos, et in his colendis nocturnas peruigilationes, sic Aristophanes facetissimus poeta ueteris comoediae uexat. ut apud eum Sabeius, et quidam alii dei de Peregrinis iudicati, e ciuitatibus eiiciantur. Sabeius quidem passim legitur, sed doctiores Sabadium legunt, Politianus, Beroaldus, alii: et ita Ciceronis locum castigant. ego aliquando ex suprascriptis, etiam Sabum legi posse putauit. Longior fui in huius dei cognomine, ne tibi, ut mihi, diutius in perquirendo laborandum foret. Videtur Iupiter Sabazius dici, si Valerio Probo stamus in libro de Notis antiquorum, ubi Ioui Sabazio legimus.

Hyes quoque uocatus est Dionysius, ut in libro de Iside et Osiride notauit Plutarchus, quod uidelicet dominus sit humidae naturae. Suidas, Ὕης Ὕου, hoc est Hyes Hyae, Dionysii est epitheton, sicuti Clidemus ait: quoniam, inquit, illi sacra perficimus per id tempus, quo deus pluit. Pherecydes uero ait, quoniam Hyen sit appellata Semele, et Dionysii nutrices Hyades. Aristophanes uero Hyen inter peregrinos deos connumerauit. Strabo quoque libro X. de Sabaziis agens, a Phrygibus in Thraciam tralatis, inter caetera quae in iis concinebantur, et Ὕη reponit, quod nomen est Bacchi, ut Ἐβοῖ, Σαβοῖ, Ἴω, Ὕη, et Ἄττυς. Caeterum et Gnostici haeretici Iao principem confinxerunt in primo coelo, ut docet et irridet Epiphanius: cuius Iao nominis rationem, et idem contra Valentinum et Gnosticos, qui eum Terminum dicunt, exsibilat. at uero Hesychius et Phauorinus, Hyeus, id est Ὕευς, Sabazius interpretantur. quibus ex uerbis lux nonnulla infertur uerbis

illis Macrobbii in Saturnaliorum I. nam cum illud Orphei carmen citasset, in quo unum ait esse Iouem, unum Plutonem, unum Solem, unumque Dionysium, hoc est

Ἐἰς Ζεὺς, εἰς Ἄϊδης, εἰς Ἥλιος, εἰς Διόνυσος.

Ita subinfert: Huius uersus auctoritas fundatur oraculo Apollinis Clarii, in quo aliud quoque numen Soli adiicitur, qui in iisdem sacris uersibus inter caetera uocatur Ὑαος. Sed cum in Ὑάω, ego Hyeus, id est Ὑεὺς uel Ὑης legerem, repetitque idem nomen et paulo infra Ἴαος et in quarto casu Ἰάω, bis compositum uideamus, uidetur Ὑαεὺς in recto pronunciandum, secundum Atticos. [p.386]

Phausterium Bacchum cognominatum legimus, quia cum lampadibus, et cum luminibus nocturna eius sacra agerentur: ut etiam infra in Lamptere dicitur.

Choopotes Dionysius cognominatus, cui Choes sacrum instituit Themistocles: mensura, seu uase et potu uocabulum deflexum uidetur.

Methymnaeum deum etiam Bacchum uocari, testis est Athenaeus libro octauo Dipnosophiston. haec enim eius sunt uerba, ubi de conuiuuiis agit: εὐωχίας, inquit, uocabant non ἀπὸ τῆς ὀχῆς, quod est nutrimentum: sed ab eo quod est εὖ ἔχειν, id est a bene habendo. in has enim coeuntes, diuinitatem uenerantes, et ad laetitiam et ἄνεσιν ipsos adducentes, μεθιέντες, potum quidem μέθην, id est ebrietatem, deum uero haec ipsa largientem Methymnaeum, et Lyaeum, et Euiou, et Ἰήιον appellabant. Haec a me quidem dure exposita, quo loco non modo Methymnaeum uides Bacchum cognominatum, a μέθη, id est ebrietate, non autem a Methymna Lesbi: quanquam et non incongrue ab ea urbe, ubi optima uina prouenirent, diceretur: sed etiam Ἰήιον, quo nomine Bacchum cum non appellatum adhuc legerim, libentius ego Ληναῖον uel Εὔιον eo loco supposuerim, donec certius aliquid inueniamus. Sane Ἰήιος Apollo quidem cognominatus est, ut plane suo loco docuimus: qui dei tamen, Macrobio docente, iisdem credebantur.

Maronaeus est Bacchus cognominatus a Tibullo, illo heroico ad Messalam:

Victa Maronaeo foedatus tempora Baccho. Videtur et Cratinus, ut est apud Pollucem μάρωννα pro Baccho et uino posuisse, illo senariolo,

Nec curauit tantum Marona, nec bibi.

De Marone uero et uino Homerus in primis in Odyssea et Philostratus in Imaginibus et Plinius, Athenaeus etiam, ut alios mittam.

Iacchus mysticus, Bacchi et nomen et cognomen, qua uoce frequentissime et Graeci et Latini usi sunt. Vergilius, Et mystica uannus Iacchi, et Claudianus libro primo de Raptu:

Ecce procul ternis Hecate uariata figuris
Exoritur, laetusque simul procedit Iacchus,
Crinali florens hedera, quem Parthica tigris
Velat, et auratos in nodum colligit unguis,
Ebria Maeoniis figit uestigia thyrsis.

Herodotus libro octauo scribit, Theocidem uirum Atheniensem, una cum Demareto Lacedaemonio apud campum Thryasium Atticae, ingentem uidisse puluerem ab Eleusine, et cum puluere audiuisset uocem quae uideretur Iacchus mysticus: etc. Arrianus Nicomedensis libro secundo, de gestis Alexandri: Sed tradit, inquit, Herodotus apud Aegyptios Herculem unum ex duodecim deis haberi, sicuti ab Atheniensibus Bacchum Iouis et Proserpinae filium coli, alium ab hoc Dionysio, et Iacchum [p.387] mysticum huic Dionysio, non Thebano cantari. Quare qui mysticum nomen Bacchi putant, falluntur. Est etiam epithetum Iacchi, nec Galenus aliter intelligitur. Catullus:

At pater ex alia florens uolitabat Iacchus.

Legimus epitaphium uetus: Dis Manibus Fabiae Aconiae Paulinae Ce. filiae, Aconis Catullini, V.C. ex praefec. etiam cons. ord. uxori Vettii praetextati V.C. praef. et cos. designati. sacratae apud Eleusinam deo Iaccho, Cereri, et Corae: sacratae apud Lernam deo Libero et Cereri et Corae: sacratae apud Aeginam deabus Tauro, Polae, Sicae, hierophantae deae Cereris. Hesychius non solum ait Iacchi nomine Bacchum uocari, sed et mysteriorum diem unam, in qua in misteriis Iacchum ferebant, et canticum insuper quod concinebatur. Herodotus uero Iacchi et ipse nomen fuisse ait, Eleusiniis deabus ita familiare, ut Dianae Virbius, Adonis Veneri, Atys Cybeli. Meminit et huius Artemidorus de Insomniis. Dictus autem a uerbo ἰακχεύω, quod est clamo et uociferor. ab Iaccho ἰακχαγωγός, id est Iacchi sacerdos, et qui initiatus iis misteriis, ut Pollux scribit in primo. Alii tamen Iacchum uiri nomen ebrii et potatoris esse existimarunt, apud Athenaeum, ex Athani auctoritate: animal etiam, quod uino delectatur.

ᾠνος graece, ut nosti, uinum significat. est et nomen proprium, et Dionysium significat. Obseruat id Proclus in Platonis Cratylum. citat illud Orphei οἶνω ἀτρομένη κούρω Διός. Idem, et qui theologi graeci dicuntur, tradunt. hinc etiam Θεοίνιος Bacchus uocatus, et Θεοίνια Bacchanalia ab Atheniensibus dicta, ut est apud Hesychium. Θεοίνος ipse Dionysius, ait Arpocraton: Aeschylumque in hoc et Istrum citat. unde θεοίνια apud Lycurgum oratorem.

Maenoles Bacchus nominatus, ut Eusebius de Praeparatione euangelica obseruat, quasi totus furens. unde et illi Orgia sacra, quae etiam idem uult a furore deducta esse, hoc est παρὰ τῆς ὀργῆς. Phornutus quoque eadem sentit: quin et Maenades eadem ratione appellatas ait. Maenalan et Origenes in tertio contra Celsum, Dionysium uocat, et muliebri habitu amictum ait. sed et eadem causa deus ipse Bacchus Μανικός ab Orpheo in hymnis dictus est.

Eraphiotes Dionysius dictus, ut Theophilus et Hesychius tradunt. Ἐιραφιώτης autem dictus est, παρὰ τὸ ἐρράφθαι, quod scilicet assutus Iouis femori fuerit. uel παρὰ τὸ ἐρέφεισθαι, quod significat coronari. uel dictus, quod a lacte caprino nutritus, hoc est ἀπὸ τοῦ ἐρίφου, id est hoedo. alii ἀπὸ τῆς ἐρίδος, id est a lite et contentione, quae in uino et potu fieri solet, ut alibi diximus. hinc et Ἐρίβρομος, et Ἐριβρεμέτης. Sunt qui asserant haec Bacchi extrema duo nomina deriuuari ab ἔρι particula intentiua, et quae augmentum in compositione afferat. ergo Eribromus, id est perstrepens et multisonus: et Eribremetes, [p.388] id est intonans, Baccho cognomina optime conueniunt. Orpheus in hymno Bacchi Sabazii,

ὃς Βάκχου, Διόνυσου, Ἐρίβρομον,
Εἰραφιώτην,
μηρῷ ἐγκατέρραψας, etc.

Et Bacchus ipse in Homerici hymni calce,
εἰμί δ' ἐγὼ Διονύσος Ἐρίβρομος, ὄν τέκε
μήτηρ

Καδμηίς Σεμέλη, Διὸς ἐν φιλότῃ μιγείσα.
hoc est,

Ipse ego sum Dionysos Eribromus, edidit
ipsum

Me mater Semele, summo commixta tonanti.

Bugenes, Βουγενῆς Διόνυσος, id est boue
genitus, Bacchus ab Argiuis colebatur.

hinc et Graecorum plerique ταυρόμορφον, id
est tauri formem Bacchum, et ταυροκέφαλον,

id est Tauricipitem, item ταυρῶπον ab Orpheo
effingebant, et appellabant: natumque ex
Persephone, ut Clemens in Stromatheis et
Eusebius in II. Praeparationis euangelicae
tradunt, ut alios mittam. Quinimmo etiam
Taurus dictus est, et illi cornua attributa, et
cognomen etiam factum Ταυροκέρω, id est
Tauricornis, ut est apud Nicandri
commentarios in Alexipharmacis. Idem et ab
Orpheo in hymnis Βουκέρω et Δικέρω
uocatus, id est Bucerus et Bicornis. Hinc
Ouidius,

Accedant capiti cornua, Bacchus eris.

Ideo autem cornua Baccho sunt attributa, ut
Diodorus in quinto tradit, quia primus boues
iugo iunxerit, et Bacchus idem sit et Osiris, ut
mox dicemus. Idem tamen in quarto iccirco
cornutum Dionysium prodidit, quod
Ammonis filius fuerit, qui arietino capite cum
cornibus fuisse dicatur. Sunt qui cornua pro
audacia sumant, ut Phurnutus, quod audaces
uinum faciat: et ideo cornutus et corniger
formatur. quod in arte Ouidius etiam innuere
uidetur. Tunc pauper cornua sumit. Scribit
Porphyrio in II. Carminum Horatii, super ea
uerba, Aureo cornu decorum: Cornua, inquit,
Libero patri et nonnullis aliis assignantur,
quoniam scilicet uinolentia proteruitatem et
contumaciam addere solet, quae per cornua
significaretur. Cornua, inquit Festus, Liberi
patris simulachro adiciuntur, quem
inuentorem uini dicunt, eo quod homines
nimio uino truces fiunt. Sunt qui et scribant
cornua cristas uocari, ut in illo Vergilius XII.
Aeneidos, Et rubrae cornua cristae: hoc est,
comae, quas graeci κέρατα nominant, unde et
κείρειν tondere dicunt. Et cornua hi uolunt
cincinnos esse, ac ideo Mosem cornutum
Hebraeis uisum putant, ut etiam Lysimachum
regem in eius nomismatibus uidemus. sed
Armenios adhuc et Lydos sacerdotes cum
huiusmodi cincinnis et capillis Romae
conspeximus. Porro et illud item apud
Athenaeum et Nicandri in Alexipharmacis
Interpretem legimus, ueteres cornu bouis pro
poculo usos fuisse. Et inde factum esse, ut
non solum cornua Dionysio finxerit antiquitas,
sed etiam Taurus ipse diceretur, et
Tauriformis, id est ταυρόμορφος in Cyzico
coleretur, et κεραῖος, id est cornutus dicatur a
Nicandro. Verum quod cornibus antiqui
biberent, illud etiamnum indicio esse potest,
quod Graeci κέρασαι dicunt [p.389] miscere,
uidelicet a cornu uocabulum deflexum: et

κρατῆρ, quasi κεράτηρ, a κερὰς, quod cornu significat. Illud insuper annotandum duxi, quod flumina etiam plerunque non modo apud pictores, sed et scriptores, cornigera et tauriformia sint solita effingi, ut Padus, et Aufidius, Vergilio, Horatio, Ouidio, aliis. Quin et historia idem comprobare uidetur. Scribit Suetonius Tranquillus, Epidium Rhetorem praedicare solitum, se a C. Epidio ortum fuisse, quem ferunt olim praecipitatum in fontem fluminis securi. paulo post cum cornibus extitisse, ac statim non comparuisse, in numeroque deorum habitum.

Δουσάρκην, Dusarcem uocabant Nabatheii Bacchum, ut ex Isidoro scribit Hesychius, et a Poeonibus Δύαλος, Dyalus dictus fuit. idem est autor.

Osirin plerique omnes Aegyptium Dionysium esse uoluerunt, ut pluribus Plutarchus et Diodorus ostendunt. Tibullus quoque cum Baccho coniunxit. Sed quid uetat, quin eius tibi lepidissimum carmen ex primo libro recitem? ita enim ille de Messala:

Te canit, atque suum pubes miratur Osirim,
Barbara Memphitem plangere docta bouem.

Primus aratra manu solerti fecit Osiris,
Et teneram ferro sollicitauit humum.

Primus inexpertae commisit semina terrae,
Pomaque non notis legit ab arboribus.

Hic docuit teneram palis adiungere uitem,
Hic uiridem dura caedere falce comam.

Illi iucundos primum matura sapes,
Expressa incultis uua dedit pedibus.
Ille liquor docuit uoces inflectere cantu,
Mouit et ad certos nescia membra modos,

Bacchus et agricolae magno confecta labore
Pectora, tristitiae dissoluenda dedit.

Bacchus et afflictis requiem mortalibus affert,
Crura licet dura compede pressa sonent.

Non tibi sunt tristes curae, nec luctus Osiri,
Sed chorus et cantus, sed leuis aptus amor

Sed uarii flores, et frons redimita corymbis,
Fusa sed ad teneros lutea palla pedes.

Et tyriae uestes, et dulcis tibia cantu.

Et leuis occultis conscia cista sacris.

Huc ades etc.

Idem ergo Dionysius et Osiris est.

Hinc et Chenosiris hedera dicta est, hoc est Osiridis planta. Ab aliis tamen Sol existimatur, et propterea Eusebio et Diodoro tradentibus, Πολυόφθαλμος, id est multioculus graece interpretari potest. nam ut [p.390] Plutarchus scribit, os apud Aegyptios multum significat, et ἴρις oculum. Obseruat Macrobius, Aegyptios, quoties solem exprimere uolebant, sceptrum, et in sceptro ipso oculi effigiem insculpsisse, per sceptrum potestatem significantes: per oculum uero, quod cuncta perlustret. tum etiam Solem ipsum, Iouis oculum existimatum. lege Macrobius, et Plutarchi librum Isidis et Osiridis. ex quo libro etiam colligimus, Osirin Nilum quoque uocatum, et nigro fuisse corporis colore: et Hellanico teste, Ὑσριν a sacerdotibus appellatum. proprio uero nomine Arsaphen dictum, quod parum probat Plutarchus. qui et eum dictum ait, ἐκ τοῦ ὀσίου ἱεροῦ, id est, ex sacrosancto. Fuit autem Osiris frater et uir Isidis, ut plane ostendit Diodorus in I. ait enim, gigantes in eum insurrexissent, ut et in Iouem. unde cum ipsos deuicisset Aegyptios, lege sanxisset, praeter communem caeterorum omnium morem, fas esse sororem a fratre uxorem duci: exemplo Isidis motos, quae fratri Osiridi nupsisset. Quare nescio quo pacto deceptus Lactantius sit in primo, cum Isidis sacra describeret, ut Osirin Isidis filium dixerit: quem locum parum castigatum crediderim. nam et ibidem hemistichium Ouidii Lucano ascripsit, Nunquamque satis quaesitus Osiris. Sed memoriae hoc sit erratum. Porro quod per fraudem sit Osiris a fratre Typhone occisus, et in partes plures dissectus, deque uirili membro, caetera plura ex Diodoro, Luciano, et Plutarcho. Nam quod Saturni filius fuerit, iidem ostendunt: alii Pamilan quamquam ferunt, quae Thebis e Iouis templo aquatum egressa audiuerit uocem iubentem, ut proclamaret, magnum regem et benefactorem Osirin natum esse, et ea hac spe acta Osirin educauit, ex cuius rei memoria celebritas Pamiliorum instituta fuit, Phallophoriis ualde similis, in qua simulachrum proponebatur, ac circumferebatur, cui tres testiculi inerant, propterea quod is deus generationis principium esse putabatur omnium quae a generatione proueniunt: quin et Priapo deus similis, Pammeles, teste Hesychio, dicebatur, ut paulo mox ostendam. caetera de Osiri notiora sunt, quam ut pluribus hic ego explicem. Illud ex Plutarcho non reticuerim,

Osirin humana forma effictum cum genituali arrecto, ob uidelicet generationem, educationemque. amictus uero eius φλογοειδής, id est flammeus. Si his praeterea plura cupis de Osiride, bella, peregrinationes, inuenta, ultionem, sacra, lege in primis Diodorum, qui et hanc eius columnae inscriptionem adscribit: Mihi pater Saturnus deorum omnium iunior: sum uero Osiris rex, qui uniuersum peragraui orbem, usque ad desertos Indorum fines: ad eos quoque profectus sum, qui Septemtrioni subiacent, usque ad Istri fontes: item alias orbis partes adiui, usque ad mare Oceanum: sum Saturni filius antiquior, germine ex pulchro et generoso ortum, cui non semen genus fuit, neque ullus est in orbe, ad quem non accesserim, locus: omnes docens, quorum ipse inuentor fui. Osiridis demum haec nomina, Hysiris, Arsaphen, Nilus, Ammon, Dionysus, Serapis, Pluto, Iupiter, Pan, Sol multioculus. Porro scribit Hesychius, apud Aegyptios mulieres subuentanea parere, quae Osiris nomine appellentur. [p.391]

Taurophagus Dionysius appellatus est a Sophocle ea ratione, ut ait Scholiastes, quod bos daretur dithyrambicis poetis in uictoriae praemium. Alii crudelem et immanem interpretantur, animalis tauri naturam respicientes. Alii ad uinolentiam referunt, ut paulo ante notauimus. Meminit et Taurophagi Bacchi Hesychius, et Suidas: sed et taurus membrum uirile significat. unde Lastaurus dictus, qui mentulatio est, ut in Hercule docui.

Hebona, Bacchum significantes, Neapolitani in Campania, ut Macrobius scribit, celebrabant. Legimus et in elogiis antiquitatum ueterem Epigraphen huic deo ab Iunio Aquila positam, quae talis est:

ΗΒΩΝΙ ΕΠΙΦΑΝΕΣΤΑΤΩ ΘΕΩ
ΙΟΥΝΙΟΣ ΑΚΥΛΑΣ ΝΕΩΤΕΡΟΣ
ΣΤΡΑΤΕΥΣΑΜΕΝΟΣ ΕΠΙΤΡΟΠΕΥΣΑΣ
ΔΗΜΑΡΧΗΣΑΣ.

Hoc est, Heboni illustrissimo deo Iunius Aquila iunior, miles, procurator, tribunus. Pontanus Iouianus libro primo suae Vraniae, certe haec cecinit, de Neapoli agens:

Haec annis florentem, oculisque crine decentem

Hebonem uenerata, suos ritus, patriumque
Instituit morem, et sacris iam rite peractis,
Urbs Hebona salutata, agrisque Hebona
frequentant,

Hebona et referunt simul antra, et littora et amnes.

Hic etenim florem aetatis, roburque iuuentae
Et speciem deus, et formae dat habere
decorem,

Oraque, luminaque, et moderantes corpora
sensus.

Videtur uero Hebo uocari, sicut Hebe, hoc est από τῆς ἥβης, id est a lanugine, et tenera mollique aetate, ut etiam hi Pontani uersus innuere uidentur. Sane et Aegyptii Bebonem Typhonem appellarunt, ut Manethus et Plutarchus scribunt, quae uox κάθεξι, ἢ κώλυσις significat.

Λαμπτήρος Dionysii cognomen fuit, cuius templum fuit apud Pallenenses, in quo celebritas agebatur, quam ab eo deo Λαμπτηρίαν uocabant, a facibus et splendore scilicet, hoc est από τοῦ λαμπτήρος, id est a face et lumine. Noctu enim ea solennitas celebrabatur, facesque ad templum ferebant, atque ita bene poti, crateres per totam urbem statuebant, quo melius quisque deum coleret. Pausanias auctor.

Acratophorus Dionysius, Ἀκρατοφόρος dictus et celebratus in primis Phigaliae, ab inferendo uidelicet ἄκρατον, id est purum ac merum uinum. nam pugnis ludebant, cum nondum haberent brachiale lorum, sed milichis certabant. Sunt autem μίλιχαι tenuissima ex crudo coria, inuicem innexa, implicitaque, ut in Arcadicis docet Pausanias. Sane Varro acratophoron uinum in primo de Re rustica uocat: Ea, inquit, minus sumptuosa uinea, quae sine iugo ministrat ἀκρατοφόρον οἶνον, id est uinum purum.

Μιτρηφόρος, Mitrephorus, hoc est mitratus Dionysius uocatus est, ea ratione, ut putatur, quod si quando ex nimio potu ipsius bibentis caput agitaretur, uel (ut fit) nutaret, mitra caput ligabatur. ex qua [p.392] re, ut putat Diodorus, fuit uocatus Μιτρηφόρος. Repetit idem et Eusebius in secundo Praeparationis euangelicae. Orpheus in hymnis, Νυκτέλι, Εὐβουλεῦ, Μιτρηφόρε, Θυρσοτίνακτα. Hinc apparet, et Thyrsianacta Bacchum etiam appellatum, hoc est, qui thyrsu regnet.

Biformis, hoc est Δίμορφος, uocitatus est Dionysius, ut docet Diodorus, quoniam duo Dionysii fuerunt. prior barba promissa fuit, qui antiquo more barbam nutriuit: posterior alter speciosus iuuenis, et delicatus. quidam duplicem illi formam tributam uolunt, quoniam uinum et hilares homines reddat, et

iracundos. hinc illum in hymno Δίμορφον nomine salutatur Orpheus: alio loco Διφυή Λυσεῖον Ἰακχον nuncupat, hoc est, duplicis naturae Lysium Iacchum, in hymno uidelicet ad Μίσην Διόνυσον.

Ἄιθιοπαῖδα Dionysium uocauit Anacreon poeta, ut notat Hesychius. alii uinum interpretantur, sed utrumque a colore nigro et igne, alii Dianam etiam hoc nomine uocant, Aethiopiam.

Polites, et Axites, Dionysii cognomina scribit in Arcadicis Pausanias. Heraeus enim Lycaonis filius, urbem de suo nomine Heraensem in Arcadia condidit, ad Alphei fluminis dexteram ripam, ubi duo fuere Dionysii templa, alterius Polites nominati, alterius Axites.

Phleona etiam Dionysium appellatum uidemus, παρὰ τὸ φλύειν, τὸ πολυκαρπεῖν: seu φλεύειν, ut etiam Aelianus scribit, hoc est a multo ferendo fructu. est enim Dionysius fructuum deus: quin et ab uua et uindemiis appellatus est Protryges, Staphilites, et Omphacites: aliisque ab iis rebus, nominibus. Sed et Coren, id est Proserpinam uel Cererem, matrem uidelicet Liberi, Phlaean uocabant Lacones. scribit Clemens, Iouem in serpentem conuersum Pherepattae, hoc est Proserpinae uim intulisse, et inde natum Dionysium, qua de re etiam in mysticis Sabasiorum serpens praeferebatur, in orbem complicatus. Et perinde poetae serpentem tauri parentem dixere, symbolice hoc ipsum significantes.

Phlyus Dionysius appellatus fuit, ut in primo Apollonii Rhodii interpretes notant, ἀπὸ τοῦ φλύειν τὸν οἶνον, ὃ ἔστι εὐθήγειν, hoc est, quod uinum laetum faciat. Quamuis sint qui ab Araethyraea Peloponnesi ciuitate, posita in montibus Sicyoniis, quae mox Phlyusa a Phlyunte dicta est, Dionysii et Chthenophyles filio appellatum uelint. Pausanias a Phliante deriuari existimauit, id quod etiam testatur Stephanus. Lacedaemonii Phliasium mensem eum numerant, in quo fructus uigent. Sed de Phliasii in Corinthiacis Pausanias longe plura.

Rectus, id est Ὀρθος, Dionysius cultus Athenis. Amphiction enim Atheniensium rex, ut scribit Philochorus, omnium primus a Dionysio edoctus, merum diluit: quo factum est, ut homines prius mero incurui, mox recti facti sunt. quare factum est, ut in Horarum aede recto, id est ὄρθω, Dionysio ara erigeretur. Quin et Pausanias in Boeoticis, Scyllam, ait, simulachrum Dionysii recti, Myronis opus, consecrasse. [p.393]

Eubulus etiam Dionysius dictus. Εὐβουλῆα Orpheus uocauit, quem Macrobius est interpretatus, boni consilii deum praestitem. Idem Orpheus in hymno ad Proserpinam, Μητέρα Ἐριβρεμέτου Πολυμόρφου Εὐβουλῆος, Mater intonantis multiformis Eubuli, id est Bacchi. quo eodem tamen nomine et Plutonem uocatum, iam ostendimus. Sed et idem Orpheus in hymno ad Dionysium, Εὐβουλον inuocat.

Calydonius Dionysius cognominatus, cuius simulachrum post Calydonis direptionem delatum Patras fuisse fertur. huius dei Coresus sacerdos, antequam Calydon euerteretur, Callirhoes uirginis amore captus, cum eam nullo pacto flectere posset, deum precatus est, ut sibi adesset. Sacerdoti deus annuit, et Calydoniis furem immisit: quibus consulentibus Dodonaeum oraculum, responsum dedit, Coresum debere Callirhoen Dionysio immolare, aut offerentem se aliam pro ea: nulla uero se offerente, Callirhoen ad aram statuerunt. Tunc Coresus se pro ea interfecit. paulo post, et illa sibi manus consciuit, ut longo sermonis ductu Pausanias prodit. Adeo pro Anterotis numine poenas uindex Nemesis reposit.

Εὐῖον Bacchi cognomen. Orpheus in hymno ad Dionysum cum suffimento styracis, Εὐῖον ἄγνον, et in Lysio Lenaeo hymno, Εὐῖε Βάκχε, et Euripides in Bacchis, Euion Baccheua dixit. Persius,

Euion ingeminat, reparabilis assonat Echo.

quo loco Probus, seu Cornutus grammaticus: Euius, inquit, Liber pater dictus est, eo quod in bello giganteo cum non apparuisset, eum pater credidit discerptum a gigantibus: et dixit, heu, quae uox gementis est: deinde adiecit υἱὸν, id est filius. Acron tamen in Horatium ait, Bacchum mutatum in leonem, gigantem interfecisse, et tunc Iouem, o bone fili dixisse, id est εὐ υἱέ. hinc et Euhyas baccha ab Horatio III. Carmine. E somnis stupet Euhyas. sane Euhyon, uel Euhyus, impropria est diphtongus, quae syllabam producit: breuiter tamen effertur. Horatius,

Monet Sithoniis non leuis Euhyus.

Idem,

Dissipat Euhyus curas edaces.

Stattius libro I.

Et tunc forte dies noto signata tonantis,

Fulmine praerepti cum te tener Euhyie partus

Transmisere patri.

Vtitur Lucretius et Columella. Sunt tamen qui Εὐχίον libentius legant, et ab εὐχή deriuant. Phurnutus certe manuscriptus, dum Dionysii nomina recenset, cum de Alysio et Lyaeo prius dixisset, Βρόμιος δὲ, καὶ Βάκχος, καὶ Ἰακχος, καὶ Εὐίος, καὶ βαβακτῆς, καὶ Ἰοβάκχος καλεῖται, ubi Babactes et Iobacchus etiam uocatur: quae uerba uolui recensere, ne codex impressus graecus, et qui eum interpretati sunt, te fallant, ubi Bromium tantum referunt, satis confuse et incondite, et nullo pene sensu. Sed in hoc auctore huiusmodi errata pene infinita, si cum antiquis conferas, inuenies.

Euan etiam pro Baccho accipitur apud Ouidium in quarto, illo uersu,

Nycteliusque, Eleleusque parens, et Iacchus, et Euan. Statius in Syluis,

Bassaridum rotator Euan.

Idem Thebaidos V.,

Et a summis auditus montibus Euan, [p.394] quod nomen factum a uoce bacchantium, unde etiam Bacchae ipsae Euantes dictae. Vergilius:

Illa chorum simulans, euantes orgia circum Ducebat Phrygias.

quo loco Seruius, Euantes, inquit, bacchantes, a Libero, qui Euan dicitur. Propertius,

Egit ut euantes dux Ariadna choros.

Silius in primo:

Non ille euantis Massyllae palluit iras.

Sed hoc loco non reticuerim, quod a uiro cum sanctissimo, tum doctissimo, Epiphanio scribitur libro contra haereses tertio, in sacris Dionysii, qui serpentibus coronati clamantes ac euantes Vae uae, illam adhuc Euam a serpente deceptam inuocantes: Aut, inquit, per aspiratam uocem ex Hebraeorum lingua, serpentem ad suum errorem acclamantes. Eua enim absque afflatu, Hebraeis mulierem significat: cum aspiratione uero, serpentem. haec quidem ille, quae in derisum potius afferri puto a uiro sancto, quam consentanea Graecis. Sane Priscianus Euan Euantis declinat: cum et alii Euan indeclinabilem uelint esse uocem bacchantium. Hesychius tamen ait, Euan hederam ab Indis appellari, alibi uero Euas Dionysium uocari prodidit. hinc Orpheus, ut puto, uocauit in hymno ad Hippam Bacchi nutricem Εὐάδα, quasi dicat Dionysiacam:

Inuoco nutricem Bacchi Hippan, Euada nympham,

nescio quam recte uerti: graece sic,

Ἴπταν κικλίω Βάκχου τροφὸν, Εὐάδα κούρην.

Hippam uocat Hesychius Iunonem. uetus certe Orphei codex Hiptam, non Hippam habet.

Bassareus, Dionysius cognominatus est. Orpheus in hymno Βάσσαρον uocat. Ita enim ad illum, hymnum exorditur,

Ἐλθὲ μάκαρ Διόνυσσε Πυρίσπορε, ταυρομέτωπος Βάσσαρε. Id est,

Huc foelix Dionysse ueni, sate fulminis igne, Bassare tauri formis.

Horatius,

Non ego te candide Bassareu Inuitum quatiam.

quo loco Acron et Porphyrius consentiunt, quod Bassaris sit uestis genus. hoc amplius addit Acron, usque ad pedes demissa. dicta a Bassara loco Lydiae, ubi fit. unde et Bacchae Bassarides dictae. Cornutus quoque grammaticus in eo Persii uersu,

Bassarides et lyncen Maenas flexura corymbis:

Bassarides, inquit, omnes Bacchae dictae sunt: sed et ipse Liber pater Bassareus, ut Horatius, Non ego te candide Bassareu Inuitum quatiam. Quibusdam uidetur a genere uestis, qua Liber pater utitur, demissa ad talos, quam Thraces bassaram uocant. Quidam a uulpibus, quarum pellibus Bacchae succingebantur, ut et lyncum pantherarumque pellibus. Vulpes inde Thraces, bassares dicunt. Sane Pollux et Hesychius bassaram uestem esse affirmant. Phurnutus tamen ἀπὸ τοῦ βάζειν, id est a dicendo, uel clamando deriuat, et simplici f scribit. Fuit et Masaris Bacchi nomen, ut infra dicam. [p.395]

Nartheophorus Dionysius a ferula dictus, quae νάρθεξ graece dicitur, et illi attribuitur, et eum sectantibus, ut Sileni sunt, Bacchae, Satyri, alii. Vtitur Orpheus in hymnis hoc Dionysii epitheto. Sane quoniam ad fulciendos et sustinendos uacillantes gressus ferula idonea est, ideo Baccho Silenoque ac caeteris attribuitur, utpote uino titubantibus. hinc et illud apud Platonem in Phaedone, εἰσὶ γὰρ δὴ φασιν οἱ περὶ τὰς τελετάς, ναρθηκοφόροι πολλοὶ, Βάκχοι δέγε παῦροι, hoc est: Sunt enim, quod aiunt qui de religionibus tractant, nartheophori, id est feruligeri multi, pauci uero Bacchi. quod miror in sua prouerbia non transtulisse Erasmus, cum tamen elegantissime de iis dicatur, quae admodum rara sunt inter multos: ut si unum Homerum dicas, inter poetas pene innumerabiles. Porro

ναρθηκοφόρον Bacchum Eusebius in secundo Praeparationis euangelicae ideo uocatum his uerbis ait: Ferulam Baccho in manu tradunt, quia cum non permixtum aqua uinum homines biberent, et in furorem uerterentur, alter alterum baculis ferirent, indeque plerique morerentur, pro lignis his baculis, ferulis uti persuasit: et ex eo nomen factum uidetur. De ferulis etiam Phurnutus, et quare, nonnulla his similia protulit.

Bromius Bacchus cognominatus est, et hoc Orpheus usus est in hymnis. Diodorus Siculus a sonitu tonitrus ac fulminis in ortu Bacchi uocatum significat. βρόμεω quippe resono, et βρόμος sonitus, et ignis crepitus. Meminit et Teleclides apud Hesychium. Eusebius, Bromium ait uocatum ἀπὸ τοῦ βρόμον, id est ignis sonitu: qui cum abortu ederetur, insonuit. Magis mirum illud est, quod Proclus, alique in Hesiodi commentariis de Re rustica scribunt, ubi de Lenaeone mense agitur. Βροῦμος, ut tradunt, Dionysius est: unde brumalia, quae celebritas fuit, quae in bruma, atque adeo mense Lenaeone agebatur, quae tum in nostro decembre, tum ianuario peragebatur: qua de re in nostro de annis mensibus, etc. Sedenim et Dianam Βρομίαν Orpheus in hymnis nominat. de Bromio et Phurnutus, qui a uoce calcantium uinum in torculari, cum aliis deducit nominibus.

Aegobolus, Αἰγόβολος Dionysius, apud Potniam colebatur, de cuius rei nomine historia haec prodita est. Cum ibi Dionysia celebrarent, ita in contumelias acti sunt, et furorem, ob ebrietatem, ut Bacchi sacerdotem interemerint: quare dei ira graui pestilentia affecti sunt. Ciues hac de re Apollinem consulere: a quo responsum acceperunt, ut deo formosissimum puerum immolarent. quod cum Potnienses per multos annos fecissent, capram demum a deo edocti pro puero supposuerunt. unde deo cognomen, a capra uidelicet supposita, factum uidetur.

Eleleus apud Ouidium Bacchi nomen existimatur, cum canit in III. Metamorphoseon [p.396]

Nycteliusque, Eleleusque parens, et Iacchus, et Euan.

Sed ἐλελεῦ aduerbium est, et exclamatio bellica, ut notat Hesychius: uel ut alii putant, quaedam ante paeana exclamatio, hoc est ut graece dicitur, προαναφώνησις παιανισμοῦ. Vsus est Aeschylus in Prometheo in uinculis. Etiam in miseratione putat Ouidii interpre-

ἐλελεῦ aduerbium hortantis esse, quo procedentes ad orgia celebranda, et ad conserendam pugnam uterentur. Sane Ouidii uersum quidam ita legunt, Nyctelius, Liberque parens, etc. quod parum placet. alii Eleus legunt, et a misericordia, id est ἐλέου uel ἴλεον deriuare contendunt. nam ab Eleleo et Eleleides denominatae apud Ouidium bacchae, et Eleides.

Ignigena Bacchus etiam ab Ouidio cognominatus, secundum fabulam quidem a fulminata Semele: aliqui a uini natura ignea, unde et a Graecis Πυριγενής uocatus. Strabo libro tertio decimo, loca commemorat in Lydia, seu Mysia, exusta, quae tamen optima uina proferant. Idem et tradi ait apud Catinam: unde (inquit) perurbane atque eleganter Bacchum ignigenam dicunt. Pyrigenes Bacchus in Semele, effingitur elegantissime a Philostrato in Imaginibus. Πυρισπóρος etiam Bacchus nec semel ab Orpheo in hymnis cognominatus est, hoc est, igne satus.

Zagreus, Ζαγρεὺς Dionysius cognominatus, is qui ex Proserpina natus est, qui et aliter Iacchus uocabatur, ut graeci in Pindarum commentatores exponunt: qui quoniam in mysteriis cum Cerere et Proserpina colebatur, ideo πάρεδρος, id est assessor Cereris a Pindaro dicitur in hymno Isthmio ad Strepsiadem Thebanum. quod cum parum latinus enarrator, immo Germanus, animaduertisset in suis scholiis, hoc conticuit. Sed Zagrei Dionysii praeter Pindaricos expositores et Plutarchus meminit, in eo qui περὶ τοῦ εἰ τοῦ ἐν Δελφοῖς, hoc est, de εἰ quod erat in Delphis. nam cum non solum quae in Delphis sacra essent Apollinis, sed et occulto quodam sermone significari ait, Διόνυσον δὲ καὶ Ζαγρέα, ἀκὶ Νυκτέλιον, καὶ Ἰσοδαίτην αὐτὸν ὀνομάζουσι. Hesychius quoque: Zagreus, inquit, Dionysius. uidetur uero Iupiter mixtus fuisse Proserpinae, ex quo Cthonius, id est terrestris Dionysius: quod idem manifestius etiam Suidas.

Isodaetes Bacchus dictus est, ut ex modo allegato Plutarchi loco colligimus. Hesychius tamen, Isodaeten ait ab aliquibus Plutonem dici, ab aliis Plutonis filium. Isodaetae et Hyperides meminit, in ea quam de Phryne oratione composuit: quo in loco Valerius Arpocraton interpretatur, hospitem quempiam genium, quo popularia festa muliebria, et non satis modesta peragantur. De Isodaete et in Daemonibus agemus.

Iyngies, Ἰυγγιῆς Dionysius cognominatus, ut Hesychius notat. Hinc ego putarim Pindarum quodam hymno Pythio ad Arcesilaum Cyrenaeum iynga auem ideo Bacchi nuncupasse, quo loco de aue multa graecus interpres, sed de Baccho nihil. De hac uero aue et Theocritus [p.397] in Pharmaceutria, et eius item interpretes, Suidas et Hesychius, aliique. aiunt autem, Iynga filiam fuisse Echus, alii Pithus, quae suis carminibus Iouem in Ius amorem pellexerit: quare a Iunone in hanc aue conuersa fuit, quae Sisopygis etiam, a nostris autem Motacilla nuncupatur. Addit Hesychius, Cinaedion etiam appellatam.

Limnaeus Bacchus cognominatus a Limnis Atticae uico, ut commentator Aristophanis testatur in Ranis, et Phauorinus. Callimachus, Λιμναίῳ δὲ χοροστάδας ἦγον ἑορτάς, hoc est, Limnaeo peragebant solennia sacra. Arpocraton: Limnae, inquit, locus est Athenis, in quo Dionysius colitur. Meminit et Isaeus orator, et Hesychius.

Edonius Bacchus ab Ouidio nuncupatus, a populis Thraciae Edonis, qui ab Edono fratre Mygdonis dicti sunt, teste Stephano. Vnde et Edonides, et Edonae, bacchae. Horatius secundo Carminum, Non ego sanius bacchabor Edonis. Laphystius Bacchus, a monte Boeotiae, unde et bacchae Laphystiae. Sed de Ioue Laphystio, suo loco egimus. Coelius Rhodiginus libro XXVII. Euergetes, Εὐεργέτης etiam Bacchi cognomen, a benefaciendo: ut etiam Eleutherus, ut notat Hesychius.

Gorgyieus, hoc est Γοργυιεύς Dionysius, cultus et appellatus est a Gorgyia loco in Samo, ut ex Duride Stephanus obseruat. In eadem Samo et Elygeus Dionysius cultus, ut Hesychius scribit.

Masares a Caribus uocatus fuit Dionysius, nescio an a Ma quapiam, quae Rheam sectabatur, cui Iupiter Dionysum, ut scribit Stephanus nutriendum dederit. Sed cum a Iunone interrogata esset, cuius infans ille esset? illa, Ἄρεος, id est Martis respondit. quin et Rhea ipsa Μά nuncupata est. unde ego coniecto, Μάσαρις Baccho nomen fuisse, quasi Μάς καὶ Ἄρεος. Scribit quoque Pausanias in Achaicis, Dionysii simulachra fuisse apud Patrenses, quorum fuere cognomina haec: Antheus, id est floridus: et Areus, id est Martius, et Mesadeus. Melpomenos Dionysius, Pausanias in Attica. Domitius uertit latine, Bacchus canens.

colebatur uero ea parte, qua Hederaceus, id est Cisseus Dionysius etiam, et Apollo Agyieus. Colonatas Dionysius, nuncupatus a loco Spartanae regionis, teste Pausanias in Laconicis. Hyalicus Dionysius, uocatus deus Comus, id est comessationum, ut notat Hesychius.

Nyctelius Bacchus, meminit Plutarchus in eo qui inscribitur de εἰ quod erat in Delphis. Et Ouidius quarto Metamorphoseon. item in Attica Pausanias. Nyctelius uero dictus a uerbo νυκτελέω, quod significat in nocte perficio: quoniam Bacchi sacra nocte agebantur, de quibus Vergilius:

Vbi audito stimulant Trieterica Baccho
Orgia, nocturnusque uocat clamore
Cithaeron.

Psila Dionysius, sic uocatus, ait Pausanias quod Dores Psila pennas nuncupant: siquidem uinum non minus homines effert, ac tollere uidetur, quam penna aues. Anthias, Ἄνθιος, id est floridus Bacchus Athenis [p.398] cultus fuit. Patrenses quoque Anthei Dionysii simulachrum habuere: ut Pausanias docet. Catullus:

At pater et alia florens uolitabat Iacchus.
unde et illi anthinae uestes, ut Phurnutus et Diodorus notant, ascribuntur. Sedenim quidam anthinas uestes uarie interpretantur. quidam mulieres: unde et Herculem aliquando anthina ueste indutum, ex Plutarcho scripsimus. quidam purpureas, a colore florum: unde et Ianthinae, et hyacinthinae appellantur. alii barbaricas, et Damascenas, quae nunc uocantur, quod floribus herbarum impictae intextaeque sint.

Oreos, Liber pater, ait Festus, et Oreades nymphe appellantur, quod in montibus frequenter apparent. a monte uero nomen utrunque deducitur. hinc Phurnutus ait, quosdam dicere, in monte Nysio Iouem primum uitem produxisse, unde nomen Dionysius. Caue ne te impressi codices hoc loco fallant, ut alioqui alios nonnullos. Consitor uuae etiam ab Ouidio in quarto Metamorphoseon. Genialis Consitor uuae.

Vitisator Bacchus, qui uitem seuerit. Actius, O Dionyse pater optime uitisator Semele genitus Euchia. hac uoce Vergilius pro deo Saturno utitur in VII. Aeneidos, ut nonnulli putant.

Περικιώνιος Διόνυσος, Pericionius Bacchus cognominatus, cuius cum alii meminere, tum ei in primis Orpheus hymnum concinuit,

adolens aromata. Pericionii Bacchi et in nostris Musis ex Platonicorum sententia meminimus. Pericionii uero nomen deductum est a περι και κιονίδα, id est σταφηλήν, hoc est ab uua.

Ἀμφιετῆς Διόνυσος, et huic hymnus ab Orpheo concinitur, praeter thus, caeteris adhibitis suffimentis, et in altero eius etiam est facta mentio. Existimauerim uero ipse, anni tempora significare, quae circum annum euolantur, ab ἀμφι et ἔτος. Nam ut etiam Macrobius scribit, Liberi patris simulachra partim puerili aetate, partim iuuenili fingebantur. praeterea et barbata specie, et senili quoque, quae aetatum diuersitates anno et soli conueniunt, ita ut paruulus uideatur hyemali brumalique solstitio, qualem Aegyptii proferebant ex adyto die certa, quod tunc breuissimo die ueluti paruus et infans uideretur. Exinde autem procedentibus augmentis aequinoctio uernali, simulatque adipiscitur uires, figura iuuenis ornabatur. postea eius aetatis statuebatur plenissima effigie barbae. solstitio aestiuo, quo tempore annus et sol summum sui consequitur augmentum: tum demum per diminutiones, ueluti senescenti quarta forma deo figurabatur. Idem sane Orpheus Ἀμφιετῆρον etiam nuncupauit, in Trieterico Baccho.

Brisaeus Dionysius dictus, ut Stephanus scribit, a Brisa promontorio Lesbi, ubi colebatur. Sunt qui Βρισέα, scribant, παρὰ τὸ βρίθω, τὸ βαρῶ, id est grauō. Βρισεύς a βρίσω, futuro uidelicet eius uerbi, quod uini potus aggrauet caput. nonnulli παρὰ τὸ βρίζω, quod prae potu et cibo dormio significat. Alii ἀπὸ τοῦ βρύειν, id est a madefaciendo et irrigando. Alii ab urbe Laconiae Bryseum [p.399] deduci existimant. alii etiam a byrsa, id est corio uel pelle, Byrseum. Sed praestat audire quae Cornutus in Persium: Est, inquit, Briseus Liber pater cognominatus, siue (ut quibusdam uidetur) a mellis uso, eo quod ipse inuenisse dicitur mel, et ex fauis exprimere. Bris enim iucundum dicimus: unde etiam quidam Briseida existimant dictam, quod Achilli iucunda fuerit. uel certe, ut aliis uidetur, ab uua, quod uuam inuenerit, et expresserit pedibus. brisare enim dicimus exprimere. uel certe Briseum dictum ex nomine nymphae, quae eum nutrisse dicitur. Idem paulo post: In Graecia, inquit, duae fuerunt Liberi patris statuae: una hirsuta, quae dicebatur Brisei: altera laeuis, id est sine pilis, quae dicebatur Lenaei, hactenus ille. Persius,

Est nunc Brisaei quem uenosus liber Acti.

Brisaeus ideo, quia barbatus colitur Liber pater, eo cognomine. meminit et Macrobius.

Hedereus, hoc est Κισσὸς Διόνυσος, teste in Attica Pausania cognominatus, quod in ea Atticae regionis parte, Acharnis uidelicet, primum hederam uisam tradunt. unde ab Antipatro poeta ἀχαρνίτης hedera cognominatur. Inibique Μελλπομένου, id est canentis et hederei erant simulachra. Κισσόβρυος ab Orpheo Dionysius cognominatus, et Κισσιεύς dicitur Apollo, qui et Bacchus ab Aeschylo apud Macrobius. Homerus in altero ad Dionysium hymno, ipsum Κισσοκόμην Διόνυσον Ἐρίβρομον uocat, id est hedericomam. Πατρῶος, id est Patrius Dionysius cultus, cuius templum Polyidus Coerani filius construxit in Attica, in quo simulachrum Patrii Bacchi positum fuit, cui Satyrus assistebat, opus Praxitelis e Pario marmore: altera statua Dasyllii Bacchi, quam ferunt positam fuisse ab Euchenore filio Polyidi Coerani.

Omadius, Ὠμάδιος Dionysius, cuius nec semel mentio est apud Orpheum. Eusebius uero Pamphili libro Praeparationis euangelicae quarto: Dionysio, inquit, Omadio apud Chios appellato, homo crudeliter discerptus sacrificabatur. Bactes Bacchi nomen, ἀπὸ τοῦ βάζω, hoc est clamo et uociferor. quidam et Bruntinum etiam appellant, forte a tonitru, id est a βρόντης. Μίσης Dionysius. Orpheus in hymno ad ipsum cum thymiamate styracis,

Inuoco legiferum Narthecophorum Dionysum,

Laudatum Eubuli semen, cui nomina multa.

Sacratum castumque Misen, dominique uerendum.

Qui mas et mulier, duplex Lysaeus, Iacchus,
Seu te sacratae templum delectet Eleusis,
Seu Phrygia cum matre deum mysteria tractas,

Seu Cypri Cytherea tenet te compta capillos,
Seu de frugiferis campis laetaris honeste,
Matre dea tecum nigrifera Iside casta,
Aegypti prope flumen.

Asalaminus Bacchus cognominatus est ab Aristophane, quasi dicas imbellem, a naue illa Atheniensium Salaminia, qua in difficillibus rebus utebantur, de qua in nostro de re Nautica pluribus egimus. Licnites, Λικνίτης Dionysii est epitheton, ductum ἀπὸ τῶν λίκνων, id est a cunis, in quibus [p.400] infantes recubant, ut ait Hesychius. Licet

Licniten quidam cistam interpretentur apud Plutarchum in Iside et Osiride. In Licnitem est hymnus apud Orpheum, cum suffimento mannae thuris, cuius hoc initium,

Licniten Dionyssum nunc in uota uocamus:

Λικνίτην Διόνυσσον ἐπ' εὐχαίς ταῖσδε κικλήσκω.

Λειβήνος, Lebenus quoque dictus est Dionysius, ut notat Hesychius: nec de hoc amplius comperi. Οὐροτάλτ, Vrotalt Dionysius ab Arabibus nuncupatus, ut scribit Herodotus in tertio. Valla Oratal transtulit: Quod foedus, inquit, et ipsi qui amicitiam contraxerunt, seruare iustum censent Dionysum, quem Oratal, et Vraniam, quam Alilat appellant, solos deorum esse arbitrantur, etc. quibus ex Herodoti uerbis uidemus male expositum Arrianum in septimo de gestis Alexandri: Acceperat, inquit, Arabas duos tantum deos colere, Coelum scilicet ac Dionysium. non Coelum uidetur legendum, sed Οὐρανίαν. nam Venus eo nomine dicta, ut docui. Sunt etiam apud Hesychium haec Dionysii nomina, Ἡμέπανος, Αὐαλός, Θεοδήσιος, et Ἰωβάκχον: apud Orpheum uero Τρίγονος, Ἐναστήρ, et alia pleraque. Legitur epigramma iambico dimetro constans, quod Ausonii Galli poetae est, quod ita inscribitur uulgo, Miohobarbum Liberi, patris signo marmoreo in uilla nostra omnium decorum argumenta habenti. Sed cum Miohobarbum uox sit parum nota, et quid significet nullus explicet, et (ut audiui) uetustus admodum codex Mixobarbum retineat, uideamque id etiam ita a uiro docto et aequae eleganti citari Mixobarbarum: nec minus ipse quoque, antiqua dum euoluerem Graeciae elogia, a Cyriaco Anconitano collecta, epigraphen reperi in Isthmo Corinthiaco positam, in qua inter caetera haec uerba leguntur, μιξοβαρβάρων θ' ἐώνων τ' ἐθνῶν ἀρχηγός, hoc est, Mixobarbarorumque orientaliumque gentium ductor: inde facile colligere possumus μιξοβάρβαρον significare, quod ex barbaris et non barbaris mixtum est: sicut et hoc Ausonii epigramma, in quo et graeca et latina, ac etiam barbara sunt ipsius dei nomina. Sunt praeterea qui mixobarbaros statuas dicant fuisse. citant Pausaniam in Boeoticis. Caelius Rhodiginus existimat Medae filios Mixobarbaros appellatos. Haec uero tibi omnia confuse retuli. nam omnino mihi hac in re non satis placeo. Epigramma igitur Ausonii Dimetrum iambicum tale est:

Ogygia me Bacchum ouocat, Osirin Aegyptus putat,

Mysi Phanacen nominant, Dionyson Indi existimant.

Romana sacra Liberum, Arabica gens Adoneum,

Lucaniacus sed Pantheum.

In quo Mixobarbaro illud mihi indulsi propter hos tres eiusdem poetae uersus, qui sic leguntur alibi:

Αἰγύπτου μὲν Ὀσιρις ἐγώ, Μυσῶν δὲ Φανάκης,

Βάκχος ἐνὶ ζώοισιν, ἐνὶ φθιμένοις Ἄιδωνεύς,

Πυρογενῆς, Δικέρως, Τιτανολύτης Διόνυσος.

Aegypti quidem Osiris ego, Mysonque Phanaces:

Inter uiuentes, mortales, Bacchus, Adoneus, [p.401]

Ignе satus, Diceros, Titanolytes, Dionysus.

Sane Adoneus sic scribi uidetur ab Origine libro quarto aduersus Celsum, sed cum Ioue nominatur, nec quidem semel. quin et ab Adonai alicubi idem deflectere uideri potest, cum alias ego ab Adoni deduci dixerim.

Extat item in Graecorum epigrammatum uolumine heroicum poema, quinque et uiginti uersuum, cuius (primo duntaxat excepto) Acrostichis, id est primorum uersuum apex, omne graecum conficit Alphabetum, hoc est ipsas graecorum quatuor et uiginti literas, singulorumque uersuum uerba ab eiusdem uersus primo incipiunt elemento: qua ex re factum est, ut e graeco latine commode uerti ne possit. Atque ideo ita graece ut legitur, hic tibi ascribendum duxi. Primum igitur hoc est, Canemus regem, Philenton, Eraphioten: hoc est,

Μέλπωμεν Βασιλῆα, Φιλένιον, Εἰραφιώτην,

Ἀβροκόμην, Ἀγροΐκον, Ἀοίδιμον, Ἀγλαόμορφον,

Βοιωτὸν, Βρόμιον, Βακχεύτορα, Βοτριοχαίτην,

Γητόσυνον, Γονόεντα, Γιγαντολέτην, Γελώοντα,

Διογενῆ, Δίγονον, Διθυραμβογενῆ, Διόνυσσον,

Εὖιον, Εὐχαίτην, Εὐάμπελον, Ἐγρεσίκωμον,

Ζηλαΐον, Ζάχολον, Ζηλήμονα, Ζηλοδοτήρα,

Ἦπιον, Ἠδυπότην, Ἠδύθροον, Ἠπεροπήα,

Θυρσοφόρον, Θρήικα, Θιασώτην,
 Θυμολέοντα,
 Ἴνδολέτην, Ἴμερτόν, Ἴοπλόκον,
 Εἰραφιώτην,
 Κωμαστήν, Κεραόν, Κισσοσταέφανον,
 Κελαδεινόν,
 Λυδόν, Ληναῖον, Λαθικηδέα, Λυσιμερίνον,
 Μύστην, Μαινόλιον, Μεθυδώτην,
 Μυριόμορφον,
 Νυκτέλιον, Νόμιον, Νεβρώδεα,
 Νεβριδόπεπλον,
 Ξυστοβόλον, Ξυνόν, Ξενοδώτην,
 Ξανθοκάρηνον,
 Ὀργίλον, Ὀβριμόθυμον, Ὀρέσκιον,
 Οὐρεσιφοίτην,
 Πουλυπότην, Πλαγκτήρα, Πολυστέφανον,
 Πολύκωμον,
 Ῥηξίνοον, Ῥαδινόν, Ῥικνώδεα,
 Ῥηνοχορήα,
 Σκιρτητήν, Σάτυρον, Σεμεληγενέτην,
 Σεμελῆα,
 Τερπνόν, Ταυρωγόν, Τυρρηνολέτην,
 Ταχύμηνην,
 Ὑπνοφόβην, Ὑγρόν, Ὑμενίον, Ὑλήεντα,
 Φηρομανῆ, Φρικτόν, Φιλομειδέα,
 Φοιταλιώτην,
 Χρυσόκερων, Χαρίεντα, Χαλίφρονα,
 Χρυσεομίτην,
 Ψυχοπλανή, Ψεύστην, Ψοφομηδέα,
 Ψυχοδαίκτην,
 Ὠριον, Ὠμηστήν, Ὠρεσίτροφον,
 Ὠρεσίλοιγον.

PRIAPVS.

Priapus deus naturalis membri, et sobolis ac prolis. scribit Diodorus Priapum graeci, hircum Aegyptii, propter eam corporis partem, a qua sit omnium ortus, inter deos retulisse traduntur. unde et Orpheus in hymno Protogoni, hoc est primigenii hymno, Priapi etiam nomine Protogonon ipsum inuocat. [p.402] Phurnutus Priapum deum describit, et quid membri pudendi magnitudo significet, et cur sinum habeat omni genere fructuum refertum, cur horti et uineae custos, quid falx in dextera, quae omnia naturae totius conuenire ostendit: et alia addit de bono daemone, de quo alibi agendum erit. Fabulam Apollonii interpretes de Priapi natiuitate recitant, in primo Argonauticon, quo loco de Abarni urbe Pariana poeta agit. Cum Dionysi, aiunt, amore Venus capta esset, illi est commixta. eo uero in Indicam profecto expeditionem, cum Adonide mixta est. Sed ubi

Dionysius rediit, coronam sibi faciens, ei obuiam processit: et coronatam illi ministrare suaue erat, propterea quod iam illi nupta fuerat. Verum ad Lampsacum secedens, eum quae utero gerebat edere infantem uolebat. Iuno uero zelotypia acta, maleficiis usa, eius uentrem manu attigit, effecitque ut puerum pareret cum caetera informem, tum maxime ob uirilil membri immanitatem, quae Priapum appellauit: quem uidens Venus, indignum rata est ut tolleret, cum propter alia inuisum illum habens, tum maxime propter membri supra quam par erat, indecentiam. quapropter Venus ipsum suum esse abnegauit. atque hoc est ἀπαρνηθῆναι, et inde Aparnis urbs uocata, quae postea literae immutatione dicta est Abarnis. haec illi. eadem et Stephanus, sed paucioribus explicat. Hanc etiam ferme fabulam Suidas recitat: illudque amplius adiungit, quod puerum informem exposuerit Venus, atque abiecerit in montem, in quo a pastore nutritus sit. et cum membrum haberet ad nates erectum, uocatus sit Itolorum lingua Priapus, atque a pastoribus cultus. cuius imago pueruli fuit, qui arrectam mentulam teneret. haec Suidas. At uero Seruius: Priapus, inquit, fuit de Lampsaco ciuitate Hellesponti, de qua pulsus propter uirilil membri magnitudinem, post in numerum deorum receptus, meruit numen esse hortorum. Hinc Vergilius in III. Georgicon,

Et custos furum atque auium, cum falce saligna,

Hellespontiaci seruet tutela Priapi.

De hoc etiam Horatius:

Nam fures dextra coerces, Obscenoque ruber porrectus ab inguine palus.

Sed de hac re plura in Ithyphallo et Phallo, paulo mox agemus. nunc caetera de eius genere. Scribit Strabo: Priapus et portus et urbs in Hellesponto, condita uel a Milesiis, uel a Cyzicenis, (uarie enim traditur) nomen habuit a Priapo, qui apud eos colitur, siue ex Orneis, qui apud Corinthum fuere, unde Orneates ipse deus, ut post dicemus, nuncupatus. Priapus ergo, Liberi patris filius, quia ea regio, et Lampsacus, uineis abundat. hinc et Xerxes rex Themistocli in uinum Lampsacum dedit. res nota ex Strabone, et Stephano, qui etiam ait ex Demosthenis sententia, ob scilicet uini bonitatem, Priapi opus, seu possessionem eam urbem esse: qui Priapus Veneris et Dionysii filius existimatus est. Pausanias idem ait. At Diodorus: Priapus,

inquit, ut fabulant antiqui, Dionysii ac Veneris filius fuit, quod qui uino indulgeant, sint natura ad uenerem procliuiiores. Addit et hoc quoque Pausanias. Priapus, [p.403] inquit, et alibi, et ubi sunt caprarum ouiumque pascua, apumque examina colitur. nostri etiam et hortos et pomaria, ut ex Priapeis poematibus facile colligimus. Existimauit Strabo, uir doctissimus, a iunioribus deum habitum esse, non a uetustioribus. nam Hesiodus, inquit, Priapum non nouit: et Orphanem et Conisalo et Thyconi, et eiusmodi Atheniensium deis persimilem fuisse prodidit. Atqui o Strabo, si Hesiodus Priapum non nouit, ut ais, at nouit Orpheus Hesiodo antiquior, qui in Πρωτογόνου hymno cum myrrha, inter alia ita cecinit,

ἄφ' οὗ σε Φάνητα κικλήσκω, ἠδὲ Πρίηπον ἄνακτα,

id est, Ex quo teque Phaneta uocabo, atque Priapum regem. Eustathius Priapum ac Silenum Bacchi ideo comites esse scribit, quod ebrii ad salaces essent. Quod tamen ita ego intelligendum reor, non reipsa uino oppressos: nunc enim ebrii, ut saepe uidimus, non ueneri, sed somno rem sacram facere consueuere, utpote parum sui compotes. Lucianus in eo qui περι ὀρχήσεως inscribitur, Priapum unum ex Titanibus, uel Idaeis dactylis scribit, quem Iuno Marti dederit, puerum adhuc rudem, sed multa praeditum uiriliter: eumque non prius a Marte armorum disciplina peritum, quam saltatorem bonum factum. unde et illi merces ab Iunone constituta fuit, ut ab eo decimam spoliolum partem in bello reciperet. Rem planius Lucianus prodit. Ab Aegyptiis Priapi simulachrum, quem illi Horum et Typhonem appellabant, humana effingebatur forma. dextera manu sceptrum tenebat, quod ab ipso terram et mare in lucem edita existimarent: Laeua suam ipsius mentulam arrectam, quod semina humo tecta in apertum emittat. Pennae autem, motus indicabant celeritatem: et disci, orbis circumferentiam significabant. eundem enim esse, qui et Sol, opinabantur. Suidas auctor. Nostri Priapum effingebant in agricolae arrecti speciem. Tibullus: Agricolam ponimus ante deum. Idem: Libatum agricolam ponitur ante deum. Falx illi dabatur, Terreat ut saeuas falce Priapus aues: uel ut Phurnutus scribit, quod ea ad putandas uites utamur: uel quia custodientem fas est habere arma, quibus eas tueatur: uel quia qui inducit ac profert quae sunt, eius debet esse uirtutis quae incidere ac

perdere ea possit. Lego apud uirum doctum, hunc deum cognominatum ideo Auistuporem. ita enim libro VII. Architecturae scribit: Non enim statuas ponemus, quales in hortis ridiculas illius Auistuporis dei, etc. Nos uulgo Spantachium, quasi pauorem auium appellamus, ad earum scilicet terrorem. Coronabatur uero Priapus ex iis quae hortensia essent. Lac et liba praeterea Priapo offerebantur. Scribit Seruius, cum consideratione a Vergilio illud dictum esse,

Sinum lactis, et haec tibi liba Priape quotannis

Expectare sat est, custos es pauperis horti.

Supra inquit Dianae cum ueneratione locutum esse, apud numen seuerum: contra hic, inquit, quia loquitur numini quod [p.404] iocis gaudere manifestum est, quia deus est, qui hortos tuetur.

Bonus daemon, seu Genius, uocatur etiam Priapus, ut Phurnutus testatur, quod omnia omnibus distribuat ac diuidat: unde et Τεχνίτης, et Σωτήρ domesticarum rerum appellatur. hinc etiam illi cornu copiae, id est Amaltheae attribuebant. qua de re plura idem Phurnutus.

Phallus Priapus uocatur, et uertrum significat. quare cum Herodotus ait, in sacris Dionysii fuisse phallos, Priapos intelligimus: hoc est ueretra, quae e collo propendebant. Diodorus in sacris Aegyptiacis pudendum Osiridis phallum uocauit, et in eius rei memoriam cubitales statuae factae eodem nomine dicebantur, quae praecinente tibia circumferebantur. Herodotus in II. huius sacri ritum exponit: Melampumque ostendit graecis id ex Aegypto monstrasse. Lucianus Phallos pro foribus deae Syriae fuisse scribit, quos ait positos ab ipso Dionysio nouercae Iunoni. Alii phallos esse dicunt ligna longa, quae in summo pudenda haberent. A phallo Περιφασία, celebritas et pompa quae Dionysio agebatur ex phallis, dicta est, teste Hesychio: quae et Φαλλαγωγία, ut Theodoretus et Phornutus aiunt, dicebatur, id est dies et feriae Priapo dicatae. unde et Phalloutroboli nuncupati, ex uitro Priapi, quamuis et ex alia materia fierent: ex ebore, auro, et (si Dis placet) ex serico, et panno lineo, quibus mulieres utebantur, et forte nunc etiam utuntur, ad explendam Veneris pruriginem. ab hoc Ithyphallus etiam deus ipse Priapus uocatus, cui est carmen Phallicum, et Ithypallicum dicatum: de quibus et Graeci et Latini, et nos praeterea in Poetis

egimus. Ἴθύφαλλος uero est interpretatus, arrectus Priapus, qui et ab Aegyptiis quotannis summa inquisitione et cultu celebrabatur. lege Diodorum, Lucianum, et Herodotum in secundo: ut alios mittam. Ponebatur porro Ithyphallus in hortis, propter generationem ubertatemque eorum. iis enim praeesse dicitur, propter foecunditatem, cuius ipse symbolum putabatur. Nam, ut ait Seruius, cum alia terra semel creet aliquid, horti nunquam sine fructu sunt. hinc ergo Columella in carmine de Hortis ait,

Sed truncum forte dolatum
Arboris antiquae, numen uenerare Ithyphalli.
Et Vergilius, ut ante dictum,
Hellespontiaci seruet tutela Priapi.
Horatius in Sermone de Priapo,
Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum,
Cum faber incertus, scamnum faceretne
Priapum,
Maluit esse deum: deus inde ego furum,
auiumque
Maxima formido: nam fures dextra coercet,
Obscaenoque ruber porrectus ab inguine
palus.
Ast importunas uolucres in uertice arundo
Terret fixa, uetatque nouis considerare in
hortis.

Quod Horatius ex [p.405] ficulneo trunco dixit confectum Priapum. idem et Theocritus in epigrammate de eodem deo,

Σύκινον εὐρήσεις ἀρτιγλυφῆς ζόανον, hoc est, Ficulnam inuenies, quae modo sculpta, statuam. Posset et referri ad fabulam, quam ex Arnobio in Baccho retuli, unde et origo putatur Ithyphalli: id quod eo loco planius ostendi. Dicebatur et custos ruber. Vergilius in Priapeis,

Sed ruber hortorum custos membrosior aequo.

Tibullus:

Pomosisque ruber custos ponatur in hortis,
Terreat ut saeua falce Priapus aues.

Ouidius in Fastis,

Et ruber hortorum custos.

Sed hac de re, id est, de Ithyphallo, et deo et carmine, plura scripsimus in Mecoenatis uita, cum de Priapeis poematibus ageremus, quae non sunt hic repetenda. eos enim Dialogos iam pridem edendos M. Isingrinio, accurato ac diligenti typographo, tradidimus. Vnum illud de Ithyphallis ex XIII. Athenaei hoc loco, quod ibi non ascripseram, tantum afferam: Ithyphalli, inquit, ebriorum personam

gestabant, et coronabantur, χειρίδας id est manicas habentes ἀνθινάς, id est floridas, siue purpureas, semialbisque tunicis utebantur, et subtili ad talos usque tegebantur amiculo. cum silentio autem per porticum ingressi, ubi in mediam peruenere saltationem, ad theatrum se conuertebant, dicentes, Recedite, deo locum date: uult enim deus rectus sublimisque per medium incedere. haec ferme Athenaios.

Typhonem Priapum ab aliquibus cognominatum, scribit Diodorus Siculus. Priapus, inquit, quidam Ithyphallum, alii Typhonem nominant. non solum autem in urbium templis, sed in agrestibus quoque locis, tanquam uinearum atque hortorum custos colebatur, fructuum fures castigans: id quod etiam ex Priapeis, et Columella, et paulo ante nostris citatis poetis facile intelligimus. Sane non solum in Dionysii cerimoniis et orgiis adhibebatur, sed et aliis plerique sacris cum risu ludoque immo et matronae eum circumferebant, et alia inhonesta facere solebant, ut in sequentibus ostendemus. Porro nunc etiam hymnus Orphei in Typhonem legitur, quem in subterraneis aedibus habitare, aliaque canit, quae Plutoni conuenire uidentur. plura de Typhone Plutarchus in Iside et Osiri prodit, cui et Nephthyn adiungit, de qua in Venere dictum.

Fascinum pro Priapo positum, apud auctores saepe uidimus. Et D. Augustinus in libro de Ciuitate dei, nec semel ut cum in sexto ait: Quid hoc dicam? cum ibi sit et Priapus, nimium masculus, super cuius immanissimum et turpissimum fascinum sedere noua nupta iubebatur, more honestissimo et religiosissimo matronarum. Vergilius: Paedicabere fascino pedali. Idem, Priape quod tento grauis sis fascino. Item, Ruber sedere cum rubente fascino. Vtitur et Horatius, Minusue languet fascinum. quo loco ait Porphyrio, quod fascinandis rebus haec membri deformitas adderetur. Sunt qui putent, ad auertendum fascinum nam [p.406] et Augustinus in VII. ait a matrona honestissima imponi illi coronam ad auertendum fascinum frugibus. Acron, fascinum esse ait, uirilem penem. lingua uero detersa fronte, mulieres amputare se infantibus putant fascinum. Plinius libro XXVIII. capite quarto: Religione mutatur et fascinus. Imperatorum quoque, non solum infantium custos: qui deus inter sacra Romana a Vestalibus colitur, et currus triumphantium sub his pendens defendit, medicus inuidiae,

iubetque eosdem recipere. haec concise Plinius. Sed de fascino, qui uel oculis, uel lingua fieri dicitur, non est cur hic scribam. alias ex philosophis et medicis seorsum annotationem conscripsi.

Muto Priapus etiam dictus a Latinis: unde mutoniatus, mentulatus. res notior est, quam et pluribus interpretemur. Idem dicitur et mutinus, ut habetur in Priapeis, Rubricato minare mutino. Tertullianus in Apologstico legere uidetur Mutunus. ita enim ridens Romanorum religionem: Sterculus, inquit, et Mutunus, et Laurentina prouexit imperium, etc. Arnobius item in quarto: Etiamne, inquit, Mutunus, cuius immanibus pudendis, horrentique fascino uestras inequitare matronas et auspicabile ducitis, et optatis. At uero Lactantius Firmianus in primo: Sterculius, qui stercoreandi agri rationem induxit: et Mutinus, in cuius sinu pudendo nubentes praesident, ut illarum pudicitiam prior deus delibasse uideatur. Augustinus etiam in quarto, Mutunum et Tutunum legere uidetur. tametsi in codicibus Lactantii quibusdam, nunc Tutinus, nunc Futinus legatur, et Tutunus.

Orneates Priapus deus cognominatus est, ab Orneis prope Corinthum populis, ut Strabo auctor est, cuius dei res Euphronius poeta carmine perscripsit, ut in tertio de Poetarum historia scripsimus. Ornea quoque sacra, sunt qui scribant, appellari Priapi sacra, quae a nymphis iuxta Colophonem celebrarentur.

Lampsacus quoque, et Lampsacenus deus, Priapus uocatus est, ut Valerius Flaccus docet. Scribit Seruius, quod Priapus ex eo oppido fuerit. unde in Priapeis poeta,

Mortales tibi Lampsacum dicarunt.

Item.

Ille tuus ciuis Lampsace Gallus ero.

De Priapo uero oppido iam locuti sumus.

Pammyles deus apud Aegyptios, teste Hesychio, non quidem Priapus, sed Priapo similis, cuius Cratinus iunior in Gigantibus fabula meminit: ὡς σφοδρῶς ἡ αἰγυπτῶδης σόχαρις Παμμύλης. licet in peruulgatis Hesychii codicibus: Πααμύλης passim legi a doctis etiam quibusdam uideamus. Sed nos de Pammyliis sacris, quae et qualia essent, in Osiri plura prodidimus.

SYNTAGMATIS OCTAUI FINIS.